


CAROLI FERDINANDI RANKE

DE

LEXICI HESYCHIANI

VERA ORIGINE ET GENUINA


FORMA

COMMENTATIO.

LIPSIAE ET QUEDLINBURGI

SUMPTIBUS LIBRARIAE BECKERIANAE

1 8 3 1.


HARVARD COLLEGE
NOV 7 1888
LIBRARY.

GOTTLOBIO ISRAELI
RANKE,

JURISCONSULTO, LITTERARUM
AMANTISSIMO,
PATRI SUO DILECTISSIMO
ET

GOD. LUDOVICO BLANC
EQUITI F. C.

VERBI DIVINI APUD HALENSES MINISTRO,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA PROFESSORI
PUBLICO EXTRAORDINARIO, PHILOSOPHIAE
DOCTORI,
VIRO DOCTRINA ET VIRTUTE
SPECTATISSIMO
AFFINI SUO
HUNC LIBELLUM
PUBLICUM PIETATIS ET VENERATIONIS
DOCUMENTUM EXSTARE VOLUIT

C. F. RANKE.

PRAEFATIO.

Trecenti et sedecim anni praeterierunt, ex quo Aldus Manutius graecum lexicon, cui Hesychii grammatici Alexandrini nomen inscriptum legitur, e tenebris, quibus obsitum iacuerat, in lucem evocavit. Debebat illud Ioanni Iacobo Bardellono Mantuano, qui codicem quem possidebat, manuscriptum, ut typis quam primum excuderetur, non sine laudabili liberalitate Venetias miserat. Ex eo tempore liber a Marco Musuro recognitus emendatusque et ab Aldo editus, id quod illi praeviderant, (cfr. Aldi ad Bardellonum epistola Hesychiano lexico praemissa et ab Alberto in adparatu Hesychiano repetita) in nullo alio codice repertus est. Quicunque enim ad nostram usque aetatem spem aluerant, eamque publice professi in aliorum animis excitaverant: fore ut novi prodirent codices, et adiumenta ab omnibus vehementer desiderata afferrent: ii omnes frustra gavisi esse laetamque hominum exspectationem fefellisse videntur. Ita exstant codicis vestigia, qui saeculo septimo decimo in bibliotheca Medicea Florentiae servatus fuit, nunc autem quantum scimus amissus est, cfr. Alter. in Allgem. litterar. Anz. nr. 27. 1796, p. 292. seq. et Eberti bibliograph. Lexicon s. v. Hesychius. Deinde Albertus refert, se ab Thoma Brunone, Windesoriensi Canonico, in adversariis Mss. citatum vidisse Hesychium eius Mstum, sed nihil ultra cognovisse, praef. ad Hesych. s. IV. §. 1. Quae autem nuper demum de codicibus olim Constantinopoli lectis, inter quos Hesychii lexicon nominatur, Paullus, theologus celeberrimus, disseruit: ea quidem nemini, ut opinor — tam incerta sunt omnia — ma-

gnam laetitiam movebunt, cfr. Zimmermanni allgem. Schulzeit. a. 1830. m. Aug. Ut igitur Bernhardus Montefalconius in litteris ad Albertum datis significavit, se Hesychiani lexici nusquam codicem Ms. vidisse; (cfr. Alb. praef. ad Hesych. p. XXXVI. eiusdemque inedita testimonia in adpar. Hesych.) ita nos quoque idem fateri cogimur.

Hac in inopia nostra est tamen aliquid, quod nos consoletur. Namque ego illud assentior Nicolao Schowio, Dano, qui putat, omnium, qui lexici Hesychiani praestantiam intelligant, magnum esse gaudium oportere, quod Bardelloni codex, Aldini exempli fons, Venetiis in bibliotheca D. Marci servatus ad aetatem nostram descenderit, cfr. Schowii praef. ad Hesych. p. XIV. Etenim ita fieri potuit, ut *magno litterarum bono* (quae sunt verba Porsoni, ad Euripid. Phoen. v. 463. dicta et Bastio ad Gregor. Corinth. Schaefer. p. 211. probata) post imperfectas D'Orvillii et Villoisoni curas diligenter perquireretur. Multa, quae priores editores omnes vexarunt, nunc facile corriguntur; sine negotio vitia a Musuro invecta expelluntur; simul quae eius doctrinae debeantur cognovimus; didicimus denique quae vera sit libri forma et indoles. Quarum rerum omnium laudem et gloriam sibi soli Schowius concedi noluit. Nam si fas est, sua cuique relinqui merita: silentio non sunt praetermittenda ea verba, quibus ille libri sui praefationem finivit. Ait enim „Dum, lector erudite, laboribus meis frueris, memor esto, quod absque insigni humanitate Morelli, bibliothecae D. Marci custodis, codex Hesychii Venetus nocte sepultus diu adhuc iacuisset" p. XX, coll. p. XV. Hunc igitur virum eximium, cuius colloquia non a Schowio celebrata solo, sed nuper a viro haud paullo excellentiore merita laude ornata sunt, cfr. Niebuhri kleine philolog. und histor. Schriften I, p. 176. seq., tanquam alterum Bardellonum venerabimur. Ac si is, quem Morellus ad laborem suscipiendum excitavit, a rerum palaeographicarum scientia non satis paratus et idoneus, non omnia, quae fieri poterant, fecit et praestitit, quod Bastio credimus: nunc Imm. Bekkerus harum rerum

iudex peritissimus, qui Hesychiani lexici novam sese paratu-rum esse editionem publice pollicitus est, omnia fortasse codicis bona recludet, et ita perficiet, quod Bastio, immatura morte bonis litteris erepto non licuit.

At quantacunque inde in Hesychianum lexicon provenere commoda: nihil repertum est, quod tenebras pelleret discuteretque, quae ab initio statim historiae eius offusae fuerant. Iam diu enim manibus tenebant eruditi lexicon laudatissimum, neque tamen a quali auctore conditum, quibusque ex fontibus et quo consilio paratum esset, sciebant. Quis enim sit ille Hesychius, cuius nomen liber in fronte gerit, quando scripserit, quae sit eius fides et auctoritas; quas partes operis ab aliis acceperit, addideritve de suis: de his multisque aliis rebus scitu dignissimis et necessario quaerendis frustra editorum et interpretum principes consulimus. At quanquam ex antiquis nemini lexicon Hesychii quod sciamus, visum est, idque uno tantum ex codice innotuit, quem unum esse, qui primi possidebant, cognoverant; quanquam igitur maximae dubitationes omnium criticorum studia ad rem enucleandam provocare debuerunt; tamen plerique aut illo ipso veterum silentio commoti omni rei disquisitione supersederunt, spemque aliquid certi reperiendi abiecerunt; aut si rem aggressi erant, mox infecta ea aut non longe promota reversi nihil magni praestiterunt. At fuit illud tempus, quo ii qui sese philologos nuncupabant, licet diligentes essent et eximii ingenii homines, socordia quadam capi se sinebant, qua seducti librorum, quibus utebantur, historiam negligebant. Neque hac aetate, qua litterarum splendore omnia collustrantur, desunt, qui quaestiones de librorum originibus a sese removeant, contenti, ut aiunt, quod habemus libros et eorum lectione fruimur. Qua quidem sententia nihil potest vel levius, vel perniciosius esse; nihil philologo indignius. Exstat tamen scriptorum genus, quod aut raro aut nunquam nactum est, qui accuratas disquisitiones instituerent. Loquor de iis, qui antiquos scriptores commentariis explicare susceperunt, de grammaticis et scholiastis, et

qui arcte cum his coniungendi sunt, de lexicographis. Nam si ceteri scriptores famae suae magnitudine, nominumque splendore acutissimos homines incitarunt, ut summo studio adhibito eos penitus cognoscere, virtutes eorum et vitia explicare, adumbrare denique animi indolem et naturam properarent: horum maxima pars, arte sua et professione minime illustrium, plerumque contempta iacuit, et vix nomine tenus nota fuit. Non est, qui libros eorum parvi faciat; utuntur omnes thesauris eorum doctrina collectis; meritam autem singulis quibusque gratiam habere nemo voluit, nemo cogitavit. Restat nobis non parva scholiorum copia. Scimus ea a recentioribus plerumque esse ex antiquioribus libris excerpta; neque tamen cavemus, ne antiquiora recentioribus admixta exhibeamus, neve bona cum malis simul abiiciamus, aut mala cum bonis coniuncta in usum vertamus. Ac saepe, ubi non difficile erat singulorum discernere dicta, defuit eruditorum curiositas. Antesignanus exstitit Frid. Aug. Wolfius, qui summa cura et diligentia, nec minore ingenii sagacitate, rem aggressus est, et multos Homeri enarratores in vitam et lucem reduxit. Non est igitur, quod non nobilitatum satis hoc munus esse censeamus. Atqui multi sunt, qui parem sibi postulant diligentiam; multi quorum merita, temporum iniuria obscurata, detegi et aperiri debent. Adiumenta autem, qualia illa scholia Veneta erant, quae Wolfio rectam ad veritatem viam ostenderunt, et iam nunc exstant et maiore copia fere unoquoque anno proferuntur. Eadem de lexicographis dicta sunto. Quis enim est nostratium, qui de Suida, eiusque magno lexico, qui de Etymologicorum auctoribus, aliisque multis id genus hominibus disquirere accuratius coeperit? quis, cui multa eaque utilia et vera de horum librorum condendi ratione, de eorumque fontibus reperta debeamus? Singula de singulis ingeniose et ad veritatem accommodate dicta habemus: in tam frequentatis enim antiquitatis studiis, dum alius aliam litterarum partem occupat, fuerunt, qui hos quoque scriptores tangerent, et obiter nonnulla optime monerent: sed peculiares quaestiones de

libris, omnium manibus et ore tritis, nemo instituit. Non est igitur quod diu moremur; accingamus nos operi, diu praeter ius fasque neglecto; et quid per ingenii facultates efficere liceat, experiamur.

Nullas autem critica ars vel maiores vel difficiliores quaestiones habet, quam quae sunt de librorum ex antiquitate ad nos perlatorum veris auctoribus. Etenim longo itinere, quo veterum scripta ad nos perrexerunt, tot fatorum subiere discrimina, ut si de libri auctore dubitatur, vix ullum genus demonstrationis omnibus satisfaciat. Quare licet satis longa sit acutissimorum hominum series, qui veros libris auctores vindicare, germana ab adulterinis et suppositiciis distinguere, et aut nomina immerito inscripta removere, aut immerito remota e tenebris in lucem producere studuerunt: tamen tam pauca sunt aetate nostra vere explicata, ut eventus studiis minime responderit. Quid? quod interdum dubitationes non imminutae propter quaerentium et copiam et diligentiam, sed auctae esse, et difficultates non evanuisse, sed vel magis in hominum oculos incurrisse videntur: ita ut si quis vellet exemplis uti, facile plura proferret detrimenta his studiis, quam adiumenta per clarissimos viros importata.

At duplex imprimis genus est harum quaestionum. Plerumque enim factum est, ut fraudulenti dolosique homines veterum libris falsa nomina audacter inscriberent, aut sua ipsorum opera celeberrimorum hominum nominibus exornarent. Qui quo doctiores fuerunt et callidiores, eo magis fallaciae signa et notas occultarunt; in quibus subodorandis pari et calliditate et doctrina egemus. Neque tamen semper fraus: interdum etiam errores obtinuere; in quibus ipsis tamen detegendis multi posterorum frustra laborarunt. Nam errores quoque semel admissi quam difficile corrigantur, librorum veterum historia innumeris exemplis docuit. Unum autem horum errorum genus non infrequens est. Quum enim tempora essent, quibus grandiora opera displicebant, librique minoris molis acceptissimi erant: excerpendo multi merita sibi contrahere studebant; neque propterea reprehensione

digni sunt; qui non hominum desidiam adiuvare, sed legentium commoditati succurrere, et omittendis omnibus, quae non necessaria erant, libros ad usum multo aptiores reddere concupiverunt. Sed hoc labore suo saepe vel inviti effecerunt, ut grandiora illa volumina negligerentur et perirent. Quo facto, non raro primi librorum auctores ne nomina quidem sua posteritati tradiderunt, totamque suam, doctrina et diligentia partam gloriam epitomatoribus reliquerunt; ii autem, quibus suffecisset, si libris suis sine multa opera compositis apud posteros industriae testimonium habuissent, immerita nominis fama fruuntur. Ut autem nostra aetate, ita iam apud veteres in nullo litterarum genere, saepius excerpendis describendisque aliorum libris operam dederunt homines, quam in lexicis, quae vocant, concinnandis. Id ipsa origo multorum lexicorum docet. Ex commentariis enim ad singulos scriptores explanandos compositis ex parte confecta sunt, dum alii rerum copiam ibi explicatam, alii singulorum vocabulorum interpretationes, alii leges grammaticas, alii alia sibi seligebant et peculiaribus vulgabant libris. Iam vero quum orta essent lexica, alii rebus in meliorem ordinem digerendis, alii additamentis suis, alii emendationibus necessariis, alii alia ratione prodesse cupientes, priorum opera iterum iterumque vulgarunt; neque poterant unquam singulorum industriae honorisque cupiditati ad nova opera edenda occasiones et caussae deesse. Non licet nobis tantam hominum industriam mirari, qui nostra aetate eadem ad satietatem usque repetita et renovata videamus; sed querelas fundere non iniustum videtur, quod excerpentium et describentium diligentia tantam de libris genuinis victoriam deportavit. Etenim quod ne nostris libris contingat, vehementer optamus: id fortuna quadam illis veteribus accidit, ut qui philologiae prima fundamenta posuerunt, eorum opera utilissima et optima interirent: ii autem qui eorum doctrina abusi, libros eorum corruperant magis, quam emendarant, novis editionibus suis nostra aetate in hominum memoria floreant.

Earum rerum exemplum luculentum praebet lexicon

Hesychianum, cuius historiam maxime memorabilem multi iique eximii homines tetigerunt, neque tamen quisquam plene et ab omni parte feliciter tractavit. Quare non defuerunt, qui eam de integro esse suscipiendam quaestionem publice profiterentur, inter quos honoris caussa Bernhardyum nomino, Halensem, cfr. Wissenschaftl. Synt. d. Griech. Spr. p. 45. Ego quo tempore Aristophanis comoediis operam navare incipiebam, consilio meo cum ad ceteros grammaticos et lexicographos tum praeter Suidam praecipue ad Hesychium delatus, studiorum meorum ratione, ad quaestiones de libris quo utebar auctore instituendas ferebar. Felix eventus, nisi fallor, mihi non defuit. Quae autem repperisse mihi videor, ea iam cum eruditorum choro communicaturus, non sine magna spe, me omnes in meam sententiam tracturum, sed ea modestia prodeo, quae in his studiis, quanquam omnes decet, tamen non raro desideratur. De summa rei, opinor, non dubitabitur: in singulis si multos errores admiserim, iustam reprehensionem non refugio.

CAPUT PRIMUM.

CRITICORUM DE LEXICO HESYCHIANO OPINIONES POTISSIMAE.

Non est dubitandum, quin Hesychiana graecarum vocum collectio prae ceteris Graecae antiquitatis studia adiuverit et amplificarit. Sed iam apud primum editorem magna de libro utilissimo reperto laetitia iusto nescio an iniusto dolore debilitata est. „Sed illud," ait Aldus in epistola ad Bardellonum, „admodum dolendum est, quod nescio cuius incuria Proverbiorum argumenta, quae praetermissa a Diogeniano Hesychius adiunxerat, tum plurium dictionum et quae rariores sunt authoritates, quas is ipse Hesychius studiose addiderat, sublatae sunt summo studiosorum incommodo et iactura." Hesychii enim lexico, quale nunc superest, in libro manuscripto grammatici ad Eulogium, ignotum hominem, epistola praemissa reperitur, qua tota libri ratio, fontesque e quibus paratum haustumque sit et auctoris eius consilium pluribus verbis explicantur. Iam quum quae ibi enarrantur cum hodierna libri forma non prorsus convenire vidisset, illas ut querelas funderet commotus est. Neque inter posteriores criticos multi reperti sunt, qui a primi editoris iudicio recederent. Daniel Heinsius, qui admodum iuvenis in Hesychio emendando versatus est, ut in primis lineis praefationis suae ad Hesychii editionem, quas Alberti edidit, monuit lectorem „non ipsum hoc Hesychii opus esse, sed compendium", ita alicubi in codice suo scripserat „Hes. grammaticus doctus mehercule, cuius compendium iam ha-

bemus: nec enim clementius cum eo, quam cum Festo actum est" et alibi saepe eandem sententiam profitetur, ut in Lectt. Theocritt. p. 349. et nott. in Horat. p. 51. (ed. 1612.) Neque tamen epistola illa sola, sed ipsa etiam glossarum ratio et conditio eum in hanc opinionem traxit. Deinde Gothof. Jungermannus, Heinsium secutus, epitomatori male precatur ad Polluc. Onom. p. 451. n. 6. „Pessimum facinus fecit, quisquis ille fuit, qui sustulit auctoritates rarissimas, quibus Hesychium subinde usum fuisse patet." Alii eadem dicunt. C. Barthius in notis ad Claud. p. 1102. „Hesychio" ait „qui testimonia veterum autorum exseruit, piaculum inexpiabile fecit." Ut brevi dicam, Erasmus in Adagiis, Maussacus Diss. Crit. ad Harpocrat. p. 395., Tanaquillus Faber in Epistt. II, 19, p. 57. ad Anacreont. p. 117. Flor. Christianus ad Aristoph. Pac. v. 198. Kusterus, Jos. Scaliger in Primm. Scaligerr. p. 90. Albertus in notis ad Hesychii Epistolam, Henr. Valesius notis posthumis ad Harpocr. p. 283. innumerique alii in hac opinione consenserunt. Ut tamen unum commemorem, qui illis adversatus est, Godofredus Sopingius, vir vere praeclarus, et de Hesychiano lexico meritissimus, (cfr. Alberti praef. ad Hesych. p. XIX. seqq., Pierson ad Moerin p. 59.) ut refert Albertus in notis repetitae Schrevelianae editionis praefationi subiectis, in sui exemplaris paginam titulo libri proximam praeter alia multa scitu utilissima haec quoque verba sua manu coniecerat: „Addunt ex hoc, librum hunc esse tantum epitomen istius magni operis. Error errorem parit. Nam praeter ista iam dicta liber hic, quem terimus, loquitur, et ipsos redarguit. Ut enim non negem, quaedam iniuriam temporis carpsisse et polluisse, non tamen video, cuius libri epitome aut compendium esse posset. Apparent hic omnia, quae ipse auctor se praestitisse dicit. Argumenta scilicet proverbiorum, etsi in multis vitiosa et imperfecta reperiuntur. Authoritates rariorum dictionum, etsi non omnes, ex nomine cuiusque libri citatae et laudatae leguntur. Quid igitur restat, quod huic scripto deest? quid deest, quod restat? promisitne

etiam alia plura? legant Epistolam Eulogio nuncupatam, hic praemissam, et sentient, spero quoque assentient." Quae quidem viri summi opinio, ut diu incognita manserat, ita non tulit aliorum assensionem; is enim ipse, qui primus, hanc esse Sopingii adnotationem, non Schrevelii, docuit, se ab ea longe diversum sentire, ingenue fatetur. Ita effectum est, ut et recentiorum plerique non ipsum Hesychii opus nos habere, sed eius compendium pro certo et indubitato ponerent; quanquam Valckenarius novam proposuerat et multis argumentis probare conatus fuerat sententiam, de qua paullo post disseremus.

Praeterea enim alia audita est opinio, cum hac de qua diximus coniungenda, qua non mutilum solum et laceratum, sed additamentis etiam maculatum nos accepisse Hesychium asseritur. Quae res quum veteribus illis, ut Sopingio, Casaubono, Heinsio, qui primi ad difficile negotium, hunc scriptorem emaculandi, animum adverterunt, prorsus incogitata fuisset: (quorum quem postremo loco nominavi, Suidae et Hesychii comparationem instituisse scimus, qua Suidae multa tempus addidisse, Hesychio detraxisse perhibetur;) primum est a doctis quibusdam propter ipsam glossarum naturam et indolem divinata. Quoniam enim mediis in virtutibus praeclari libri foedissima vitia animadvertebantur, illas quidem ipsius esse Hesychii sumebant, haec contra omnia recentioribus et stultis librariis deberi autumabant. Inter quos quis primus fuerit nescio. Caspar Barthius in eximio adversariorum libro L. XLII. c. 26. p. 1918. (a. 1624.) ita loquitur: „Metuo ne ultima vox earum Hesychii ut glossema posterioris aevi eiicienda sit, ut plurimae insunt luculento operi, quas nullo negotio per paginas singulas deprehendas." Similiter iudicavit Tanaquillus Faber ad Anacreont. p. 117. (ed. Salm. 1660.): „Monendum arbitror, multos olim Hesychii purpurae suos pannos ausos fuisse assuere." Sed iam ante hos Jo. Meursius in Miscell. Lacon. I, 13. p. 61. (1661.) ad hanc rem tanquam omnibus notam provocare poterat. Ait enim „Estque ea glossa certe ab indocto quodam insi-

ta; qui in locum cum corruptum incidisset, minime mendam animadvertit. Nam hoc ab Hesychio esse uti credam, singularis eius viri eruditio non permittit. Et profecto praestantissimo isti Lexico, quod antiquae eruditionis penu, quaedam passim inserta esse ab indoctis satis Viri docti norunt." Hac igitur via ingressi, Hesychii laudem servare viri hucusque nominati studuerunt. Tanta erat hominis eiusque libri admiratio, ut vix ac ne vix quidem ullam reprehensionem admitterent.

Alii plane diversa ratione inita in eandem devenere sententiam. Mox enim animadversum est, in Hesychiano lexico, ut apud Suidam, accuratissime litterarum ordinis rationem habitam esse. Ita Thom. Stanleius in Aesch. Agamemn. v. 235. p. 790. Hesychium „literarum ordinis observantissimum" appellavit. Non raro tamen iustus ordo mire corruptus est; ut non improbabile videretur esse, quae loco falso legantur, non esse ab Hesychio ipso profecta. Iam quum magna in Hesychiano lexico sacrarum vocum, quas dicunt, copia reperiatur, earumque non paucae contra iustum ordinem intersertae legantur: audacter R. Bentleius, eas omnes spurias esse et insiticias iudicavit. Legimus enim in Albertina Hesychii editione epistolam a magno viro ad Joh. Christ. Bielium datam (Londini Aug. 30. 1714.), qua ille iudicii sui veritatem ostendere studet. „Principio itaque" ait „aut pridem animum advertisti, aut nunc demum (me monente) agnosces, Gentilia verba omnia, totumque adeo lexicon Hesychianum verum, ad seriem literarum tam in secundis, quam primis syllabis more dictionariorum hodiernorum accurate institutum esse. Quam seriem si quando (ut fit) interruptam invenis, id mea fide credas velim inde evenisse, quod Orthographia Auctoris, in illis vocabulis plerumque vitiosa, ab Editoribus vel Scribis librariis postea mutata fuerit. Hoc iam posito, illud quod proximum est, iam mecum contemplare. Glossas illas, de quibus nunc agimus, extra seriem locis non suis plerasque omnes reperiri; certissimo opinor indicio, non ab Auctore profectas esse eas; sed a

studioso" cett. Reliqua, quae dixit, apponere, non est mei officii; breviter omnia et praeclare Vir κριτικώτατος exposuit. Neque tamen Albertus propterea sua laude privari debet. Is enim ipse antequam Bentleii quae fuerit sententia sciret, in Miscell. Observv. Vol. IV, tom. II, p. 263. et in praefat. ad glossar. N. T. idem sese sentire professus, quum Hesychianum lexicon ederet, praef. p. IV. tanti viri consensum iure suo sibi gratulari poterat: praesertim quum novas ipse et a Bentleio praeteritas rationes addidisset. Quare Nicol. Schowius in praefat. ad Hes. lex. p. VI. dum soli Bentleio huius rei laudem defert, iniustius mihi agere videtur.

Hac re exposita, quum Bentleius, multas esse in Hesychio glossas spurias, ostendisset, praeterea iis quoque, qui interpolatoribus solis vitia admissa esse crediderant, adversatus est; eorumque impetu represso ipsum libri scriptorem reprehendit. Iam ante Bentleium autem fuerant, qui ipsius auctoris peccata suspicarentur, sed rari tantummodo, et saepe quid sentirent, paucis et obscuris verbis dicendum rati. Acerbe primus Hesychium notavit Jul. Caesar Scaliger de Plantis I, p. 64. „Credo illius seculum fuisse admodum βαρβαρωθεν. Multis etiam deprehendere licet, eum congessisse in illud horreum simul cum frugibus etiam scarabaeos cum suis tabernaculis, dum omnibus ex areis omnia converrit sine vanno aut cribro." Eademque ratione modo perhibet, non esse Hesychium autorem multa fide dignum. Exercitatt. ad Cardanum p. 451., modo futilem autorem ac plane grammaticum appellat, ib. p. 455. Thomas autem Reinesius non solum hanc Scaligeri reprehensionem iustam esse censuit, epist. ad Joh. Vorstium, 26., sed etiam laudes aliorum in scriptorem plena manu, quod aiunt, congestas detrivit. „Eruditionem" inquit „quam ei passim tribuunt, potius iis scriptoribus, quos excerpsit (est enim solum συρραπτάδης) tribuerem: cum enim nihil paene eius sit, quomodo eruditum ἐξαιρέτως fuisse colligam?" cfr. Fabric. bibl. Gr. l. IV. cap. XXXV, s. VI. Alii minus perspicue

eundem reprehendunt, ut Florens Christianus, qui ad Aristoph. Pac. v. 198. neque integras esse Hesychii glossas, neque semper fide dignas perhibuit. Alios ut Abrah. Berkelium, qui ad Steph. Byzant. v. Ἀερία Hesychium sese passim in oppidorum situ et nominibus imperitum prodere dixerat, praetermitto. Festinat enim ad Bentleium animus, de cuius conatibus Ruhnkenius in praefatione Hesychii lexico praemissa, Tom. II, p. III, satis magnifice et eleganter disputavit. Audi ipsum „Ad hanc rem proferendam demonstrandamque opus erat docta Richardi Bentleii audacia, quae si unquam alias, hic certe bonis literis plus profuit, quam iners et superstitiosa multorum, qui critici dici haberique volunt, religio. Is igitur servili credulitatis iugo excusso, edidit illam ad J. Millium Epistolam, mirabile ingenii et doctrinae monimentum, quale proficisci non poterat, nisi a principe seculi sui Criticorum. In hac ille epistola cum alia docuit, quae plerisque eruditis nec vigilantibus nec somniantibus in mentem venissent, tum Hesychium, cui satis diuturna peccatorum impunitas obtigisset, ad severum critices tribunal citavit. Hanc autem accusationem tanta vi argumentorum, tantis testimoniorum copiis instruxit, ut ne obtrectatores quidem illius — contra hiscere aut Hesychii patrocinium suscipere auderent." Ac profecto acerbissime in Hesychii peccata Bentleius invectus est. Nam saepe loquitur de vocabulis undique corrasis, de ὀνοματοθήραις, de conniventibus scriptoris oculis, de pudendis erroribus, hisque et similibus utitur conviciis. Neque tamen verum est, quod Ruhnkenius ait, omnes uno ore assensionem praebuisse Bentleio. Unus autem prae ceteris, Bentleii amicus, Ludolphus Kusterus eandem iniit cupidissime viam; et, si Bentleius eum „autorem exigua fide," ad Callimachi fragm. p. 358. nominaverat, neque plus habere momenti, quam Clementem et Porphyrium, homines multis partibus illo doctiores, (p. 425. ed. Lips. Opuscc.) edixerat, Kusterus in hunc modum de lexicographo loquitur, ad Suid. T. II. p. 361. „Quis enim nescit, Grammaticum istum plu-

rimas voces spurias et corruptas alba, ut aiunt, linea in marginem suam rettulisse: adeo ut non videam, quomodo ei ulla fides haberi possit, cum quid affirmat, cui usus et auctoritas meliorum scriptorum Veterum manifeste repugnat" et alibi eundem non solum cum Suida, sed maiorem etiam stuporem tribuit, Diatr. Antigronov. p. 16. (ed. 1712.). Contra alii harum rerum periti iudices, ut Hemsterhusius et Jo. Alb. Fabricius, Bentleii auctoritatem agnoscunt quidem, sed ipsi libri summa utilitate perspecta, saepe ab summo viro recedere et cupiunt et audent. Alter enim quam incertus inter Bentleii auctoritatem et opinionem de lexici auctore semel captam haeserit, adnotationibus ad Pollucem scriptis praeclare ostenditur. Posteaquam enim in ipso lexico locis diversis ab Hesychio ad librarios scribasque culpam vertere conatus erat, ut l. VII. p. 839, n. 83., X, p. 1184, n. 54; p. 1351, n. 27. in Addendis recedit iterum ad Bentleii iudicium, ad p. 1184. Postea autem in epistola ad Albertum missa, iterum, vel corruptum vel errantem vocat Hesychium neque certam sententiam ponit. Maiore constantia Fabricius agit, qui in biblioth. Gr. l. l. ita rem exhibuit: „Neque omnia ab exscriptoribus ac interpolatoribus, sed quaedam etiam ab Hesychii ipsius negligentia et ignoratione errata in illud lexicon irrepsisse non paucis eruditis viris persuasum est, quibus ego sane facile et libenter accedo. Plurimum tamen interpolatoribus suis hoc debere eum arbitror, quod durius eum interdum accipere Critici quidam ac Philosophi paene coacti fuerint." Simul autem ne quis temere librum contemneret, idem vir excellentissimus Glossarium Hesychianum thesaurum, non librum vocavit, in dedicat. tom. V. Biblioth. Lat. mediae et infim. aetatis.

At quomodocunque de hac re singuli iudicarunt, quum Hesychiani lexici fides et auctoritas semel labefactata esset, prior illa ratio, qua quae malae notae erant, ab aliis inserta, non ab Hesychio profecta putabantur, tanquam dubia et incerta, negligi et contemni coepit; posteriorem autem plerique tenuere, multaque aliena in praeclarum lexicon inveeta

esse, ex litterarum ordine violato collegerunt. Ab hoc igitur tempore opinio invaluit, Hesychii lexicon et mutilatum et interpolatum ad nostram aetatem descendisse. Quare iam Ruhnkenius hanc utramque opinionem comprehendere, et audacter tanquam consentientem omnium sententiam proponere poterat. „Constans“ inquit praef. ad Hes. p. IV, „virorum doctorum fuit opinio, partim ex Hesychii Epistola ad Eulogium, partim ex aliis argumentis ducta, non esse Hesychii lexicon, quod nunc superest, tale, quale olim ab eius manu profectum sit, sed ab Epitomatoribus contractum esse et mutilatum, a librariis foedissime corruptum, a sciolis denique nullius pretii glossis interpolatum.“ Ac duo imprimis exstitere, qui utramque opinionem et extendere latius et argumentis certioribus firmare susceperunt; ipsum dico Ruhnkenium et Nic. Schowium. Is enim, quem posteriore loco nominavi, de se ipso praedicat, postquam Bentleium magna laude cumulavit „Ulterius equidem procedens, statuo, quod non solae glossae biblicae, verum et omnia, quae ad pristinam seriem hodie revocari nequeunt, ex margine sint.“ p. VI. praef. ad Hesych. Deinde pergit p. VII. „Probe tenendum est, Hesychium in — archetypo antiquo hodierno longo breviorem fuisse, servata ubique serie alphabetica.“ p. VIII. „Videbimus mox, constitisse haec (archetypi additamenta) partim in integris articulis aliunde exscriptis, in exemplis glossas Hesychii illustrantibus, in vocabulis interpretatione destitutis, quae a Lexicographo omissa credebant, quaeque proprio quodam nomine paralipomena sive praetermissa Hesychii in notis nuncupavi, porro in lemmatibus et auctorum nominibus; partim etiam in compendiorum explicationibus, emendationibus et variis lectionibus“ cett. Denique addit p. IX. „Non solum ea, quae hodie ordinem alphabeticum in Hesychio interrumpunt, ex margine adfirmo, verum et multa ex iis, quae in serie sunt.“ Ex his omnibus summa viri audacia elucet, qua abreptus non ut priores critici cunctanter et dubitanter procedit, sed magnam lexici partem spuriam esse, et a sciolis additam

pronuntiat, ac ne tantillum quidem haeret anxius, et de suscepti magnitudine cogitat. Ut autem Schowius eorum patronum sese gestit, qui interpolatum clamant hunc librum, ita altera parte Ruhnkenius prodit, gloriaturque, sese tandem veterum criticorum coniecturas firmissimis argumentis probare et firmare posse, quibus omnium adversariorum conatus celeri ruina obruerentur et conciderent: praef. p. IV. Accipe eius narrationem ipsam. „Cum Parisiis studiorum caussa versarer, inter alia Lexica antiqua necdum edita, quae Bibliotheca Sangermanensi continentur, descripsi Lexicon Rhetoricum, bonae frugis plenissimum, atque ad ius Atticum explicandum imprimis comparatum. — Hoc Lexicon, decimo seculo in membrana scriptum, sive codicis illius librarius, sive alius eo antiquior, passim interpolarat Hesychii glossis. At qualis Hesychii? Non truncati, mutilati, corrupti, quo nunc melioris desiderium levamus, sed integri, illibati et omni labe carentis.“ Haberet sane Vir praestantissimus, cur hoc reperto laetaretur et gloriaretur, si modo in illo lexico ullum appareret vestigium, ex quo certo colligere possemus, ex nostro Hesychio hausta esse, quae ibi leguntur. Si apud Hesychium legimus „Ἀστραπὴ δι᾽ ἅρματος. Ἀθηναῖοι“ in rhetorico autem lexico „τόπος Ἀθήνησιν ἐν τῇ πάρνηθι, ὅπου Διὸς ἀστραπαίου ἐστὶ βωμός“ Hesychii verba sane explicantur; sed unde sciebat Ruhnkenius, ex Hesychio lexici illius scriptorem sua accepisse? Reliqua omnia similiter sese habent. Lexicon illud, ex quo Ruhnkenius antiquam Hesychii faciem se cognovisse credit, ab Imman. Bekkero, Anecdt. I, p. 195 seqq. editum est. Alphabeticum tenet quidem ordinem, sed ita, ut primam tantummodo, non secundam, tertiamve literam curet. Quibus igitur ex vestigiis interpolatorem illa lexico rhetorico iniecisse collegerit Ruhnkenius, equidem non perspicio. Et si interpolatorem vere deprehendisset, cur ille ex Hesychio omnia hauserit necesse est, qui ipse antiqua aliorum lexica exscripsit. Nonne igitur duo eosdem fontes sequi poterant? Denique, quum Ruhnkenius haec scriberet, diu cognitum

erat Apollonii lexicon homericum. Nonne hoc comparato non minus bene doceri poterat, glossae Hesychianae quales antea fuerint? Quare equidem hanc quidem Ruhnkenii sententiam hoc statim in loco, ubi res enarrare modo, non diiudicare in animo erat, Ruhnkenii ingenio minus dignam esse ostendere volui. Tamen ea hucusque non est a quoquam refutata; pro mutilato et interpolato a plerisque habebatur Hesychianum lexicon: praesertim postquam adversaria Valckenarii sententia Ruhnkenii sagacitate et doctrina funditus eversa et refutata esse videri coeperat. Ad hunc enim, cuius iam antea paucis meminimus, nunc redeundum est.

Exstat Valckenarii dissertatio de Scholiis ad Homerum, post Virgilium Ursinianum edita: cui inest Schediasma de Epistola ad Eulogium Hesychio praefixa operisque inscriptione; cf. Opuscc. Valck. II, p. 152 - 163. Ibi Epistolae auctor ab collectore lexici separatur; hunc Hesychium nuncupat; illum falsarium esse et Hesychii nomen induisse putat; quanquam eam quaestionem, quis lexici auctor habendus sit, non accurate tractare voluit, epistolae scriptorem reprehendisse contentus. Lexicon ipsum maximi facit. „In Hesychium," ait, „nosti nihil dicere me inclementius, cuius errores gravissimi ipsi Bentleio plurimum boni pepererint" epist. ad Roever. Opuscc. I, p. 349. De epistolae scriptore, tota disputatione finita, ita disserit, l. l. p. 163. „Omnibus autem expensis, sic censeo, luculentam glossariorum lexicorumque veterum συναγωγὴν, quam sub Hesychii nomine legimus, non esse vasti operis epitomen, postquam Epistola ad Eulogium scripto fuerat mandata, concinnatam: saepenumero quidem Auctorum et Populorum nomina male praetermissa; non pauca etiam, quae in libris vetustis plenius legerentur, fuisse contracta: sed ab illo, qui non peritissime hanc collectionem primus adornavit: Epistolam ad Eulogium a Graeculo recentiori praefixam, ut librum momenti nullius augmentis a se ditatum splendidis mendaciis commendaret; atque adeo existimo, Hesychium sive vetus illud et ad adipiscendam eruditionem ingeniumque exercendum utilissi-

mum instrumentum ista ad Eulogium epistola contaminari." Albertus, celeberrimus Hesychii editor, quum Valckenarii sententiam impugnare suasque rationes ei contrarias praefatione secundo volumini praemittenda expromere statuisset; post illius praematuram mortem Ruhnkenius libenter eius partes suscepit Valckenariumque meliora edocuit. Ille tamen ea sibi doceri non passus est. Paullo post enim in Theocriteis, nulla Ruhnkenii ratione habita, eandem sententiam repetiit p. 299. „Ista epistola" ait „rerum falsarum et absurdarum plena prorsus nihil continetur, quod ullo modo respondeat glossariis antiquissimis, sive optimarum rerum, quas liber Hesychianus amplectitur, dignitate." Quid? quod longius in audacia sua progreditur, eundemque hominem, qui Suidae lexico falsam inscriptionem imposuerit, hanc quoque epistolam scripsisse et titulum lexico praemisisse suspicatur.

Etsi Valckenarius ipse Hesychium lexici scriptorem agnovisse videtur: tamen apertum est, si verum esse eius de epistola ad Eulogium iudicium statuimus, inde sequi magnam de lexici ipsius auctore dubitationem. Ea autem ipsa est a quibusdam proposita, et iam diu ante Valckenarium audita. Diximus ab initio ex uno codice innotuisse hoc lexicon; neque eius scriptorem Hesychium alibi nominari. Hesychii quidem plurimi occurrunt, sed cui hoc lexicon iuste tribuere queas, nullus. Aldus Manutius, Alexandrini Hesychii immemor, eum cum Milesio commutaverat, cuius Suidas meminit, et cuius scripta plura aetatem tulerunt. Quanquam error apertissimus erat, et mox a multis, ut a Scaligero ad Suid. s. v. Ἡσύχιος notatus: tamen a plurimis admissus est, quos enumerant Thorschmidius de Hesychio Milesio, Illustri, Christiano sect. I, 1. Io. Alb. Fabricius in Exercit. de Lexicis Graecis, et Biblioth. Gr. IV. c. XXXV, et Albertus, praef. ad Hesych. cap. 1. §. 1. p. II. Novam ingressus est viam Alb. Fabricius, qui primum ac praecipuum lexici autorem Hesychium Alexandrinum esse credidit, quem tertio post Christi annum natalem seculo floruisse Graecam-

que veteris testamenti, quod vocant, interpretationem edidisse accepimus. Sed ea quoque, ter a Fabricio repetita, in dissert. de numero septuagenario §. XVI, in diss. de Lexicis Graecis et in bibl. Gr. l. l. §. 5. virorum doctorum assensionem non detulit. Nam praeter peculiarem Sallierii dissertationem, a. 1718. in commentationibus Academiae Parisiensis editam, n. LL, Stephanus Lemonius, Ern. Tentzelius, quos Fabricius l. l. nominat, Thorschmidius l. l. §. 2. (in Orellii Hesych. Miles. edit. p. 266.) Albertus aliique multi eius opinionem impugnarunt.

Neque inter reliquos Hesychios reperitur, cui re vera haec glossarum collectio tribui possit. Quare non mirum est, quod nonnulli circumspexerunt, cui alii librum vindicarent. Tamen eventus defuit. Hadrianum Junium enim non moror, qui quod Eustathius ex Herodiano eandem vocis βουβάρας interpretationem, quam in Hesychiano lexico legimus, affert, Herodianum lexici autorem esse auguratur, in Adag. Cent. VII, 46. cuius errorem Albertus notavit, praef. ad Hesych. p. II. Memoratu dignior est Sopingii sententia. „Hic“ ait „quisnam fuerit ignotum mihi. — Tanta enim est huius authoris obscuritas, ut an Hesychius sit γνήσιος author sint, qui dubitant. Unde enim id constabit? Nemo antiquiorum eum laudat, citat, nominat. Fuit tantum unicum exemplar, unde hoc turpissime corruptum expressum et divulgatum est. Sed ne quid nomen hoc, quod iam diu insedit, frustra movere velle videar: age videam, qui docti de hoc sentiant, quae tamen tantum abest ut probem, ut etiam falso huic tribui omnino putem“ cett. Aperte igitur contra Hesychium hunc nostrum pugnavit, neque tamen quidquam ipse aliud coniecit; propterea non reprehendendus, sed laudandus potius. Sed quod mireris, ipse Albertus de Hesychio scriptore dubitavit. Quanquam enim in praef. ad Hesych. p. II. dixerat, videri sibi non alium Lexici auctorem quam Hesychium, quisquis demum ille fuerit, esse statuendum: tamen non multo post, ubi singulas de Hesychio sententias recensuit, p. VI, his verbis suae disputationi finem imposuit. „Quod enim antiqui alicuius

nunc pro deperdito habiti, Lexicographi opus, sublato veri Auctoris nomine sibi vindicasse Hesychium aliquem, atque inde Hesychii Lexicon ab antiquioribus grammaticis nusquam laudatum reperiri, aliquando suspicabar, dictu durius videtur: etsi tam altum et diuturnum de Hesychii Lexico per tot secula silentium codicumque manuscriptorum inopiam miramur.“ Non dubitandum videtur, quin haec sententia ab viro maxime sobrio profecta, dignissima sit, quae animo volvatur et indagetur accuratissime. Quodsi ipsi eius auctori concessum fuisset, alteri tomo praefari: fortasse pluribus eam tractasset et exornandam sibi sumpsisset, nisi inde, quod Valckenarii refugit sententiam, ut Ruhnkenius narrat, contrarium colligendum est. Ceterum Valckenarium praeter alias caussas his ipsis Alberti dubitationibus lectis, in suam opinionem tractum esse, infitiari nemo poterit; quanquam multo magis, ut opinor, motus est Bentleii auctoritate, cuius ingenii divinitate abripimur omnes, qui primus epistolae fidem auctoritatemque impugnavit, epist. ad Millium, p. 37. Quum enim Hesychius dixisset, se *κατὰ τὸν γραμματικὸν Ἡρωδιανὸν* omnia scripsisse, monet Bentleius „Ego vero, qui Theodosii Ms. *Ἐπιτομὴν τῆς καθόλου* Herodiani lectitavi, testificor, parum huic promitto, vel nullo modo satisfactum esse.“

Haec fere sunt quae viri docti de Hesychiano lexico eiusque vera origine et genuina forma disputarunt. Nostra aetate fere omnes lexico Hesychiano usi sunt, uti par erat: disputationem autem de libro ipso nemo scribere instituit. Licebit igitur mihi meam exponere sententiam; qua, nisi egregie fallor, res tota absolvitur.

Verum ego libri huius auctorem Pamphilum esse credo, Alexandrinum grammaticum, de cuius aetate et scriptis singulari libello exponam. Primo illud post Christum seculo conditum, secundo est ab Diogeniano grammatico excerptum. Diogeniani librum igitur manibus terimus, ab Hesychio nescio quo additamentis pollutum et maculatum. Accuratius singula postea demonstrabuntur.

Proxime hanc sententiam meam accessit I. A. Ernesti, qui in dissertatione de Glossariorum Graecorum, in primis Hesychii vera indole et recto usu in interpretatione a. 1742. edita, cuius verba neque Albertus neque Ruhnkenius accurate legerunt. Accipe eius verba „Ex eo genere sunt illa veterum, λέξεις et γλῶσσαι Homeri, Hesiodi, Platonis, Hippocratis, Oratorum Atticorum, quarum pleraeque interciderunt. — Has omnes autem separatim antea editas post Diogeniani, Zopyrionis et Pamphili opera, tempore incertum est quo in unum corpus digessit et multis ex omni librorum genere, etiam e sacris utriusque foederis et e Theologorum veterum libris repetitis auxit Hesychius, Alexandrinus grammaticus" cett. in quibus Pamphili mentionem iniectam esse vehementer gaudemus.

Aggrediamur igitur opus nostrum; et quum totam de lexico Hesychiano disputationem epistola ad Eulogium scripta tanquam fundamento niti videamus eam primum repetamus; adiunctis notis, in quibus de singulis locis disputatur. Exiit autem illa epistola, ut opinor, ab Hesychii manu hoc fere modo.

CAPUT SECUNDUM.

HESYCHII AD EULOGIUM EPISTOLA.

Ἡσύχιος, γραμματικὸς Ἀλεξανδρεὺς, Εὐλογίῳ, τῷ ἑταίρῳ, χαίρειν.

Πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν παλαιῶν τὰς κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι λέξεις [1]), ὦ πάντων ἐμοὶ προςφιλέστατε Εὐλόγιε· ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας, ὡς Ἀππίων [2]) καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου· οἱ δὲ τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικὰς, ὡς Θέων καὶ Δίδυμος καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι· ὁμοῦ δὲ πάσας τούτων [3]) οὐδὲ εἷς. Διογενιανὸς δέ τις μετὰ τούτους γεγονὼς, ἀνὴρ σπου-

---

[1]) Hemsterhusius coni. „κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι τὰς λέξεις“ quia „melius,“ ait, „hic iungantur κατὰ στοιχεῖον συντιθέναι, quam αἱ κατὰ στοιχεῖον λέξεις.“ Sed eadem loquendi ratio ap. Eustath. ad Hom. Iliad. X. p. 834. „ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον μεγάλῳ βιβλίῳ τοῦ Σουΐδα“ et alibi.

[2]) Ita MS. Ven. Correxit Musurus „Ἀπίων.“ Sed etsi, ut plerique credunt, simplici π rectius nomen scribitur, quaeritur tamen, quem modum Hesychius tenuerit.

[3]) Albertus post τούτων comma posuit, „horum autem (scriptorum voces) simul omnes nemo prorsus“ vel „horum scil. scriptorum sive glossographorum, quorum praecedit mentio.“ Valckenarius autem in Schediasmate de epist. ad Eulog. (Opusc. II, p. 158.) τούτων cum sequentibus iunxit, commate sublato, scriptoremque ut absurda dicentem risit. Equidem Albertinam interpretandi rationem praefero et τούτων ad lexicographos traho, nisi forte „omnes harum sc. vocum“ voluit scriptor dicere, quam loquendi rationem apud scriptores graecitatis citerioris, quam ait, ut apud Plutarchum Schaeferus notavit, Plut. V, p. 502. Glossar. Liv. p. 516. Adde de similibus Matth. Gr. Gr. p. 817. Valde amat noster genitivos.

δαῖος καὶ φιλόκαλος, τά τε προειρημένα βιβλία καὶ πάσας τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι [4]) κειμένας λέξεις συναγαγὼν, ὁμοῦ πάσας καθ' ἕκαστον στοιχεῖον συντέθεικε· λέγω δὴ τάς τε Ὁμηρικὰς καὶ κωμικὰς καὶ τραγικὰς, τάς τε παρὰ τοῖς λυρικοῖς καὶ παρὰ τοῖς ῥήτορσι κειμένας· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὰς [5]) παρὰ τοῖς ἰατροῖς, τάς τε παρὰ τοῖς ἱστοριογράφοις· συλλήβδην δὲ ὁμοῦ [6]) οὐδεμίαν λέξιν [ὥστε] [7]) παρέλιπεν οὔτε τῶν παλαιῶν οὔτε τῶν ἐπ' ἐκείνου γεγενημένων [8]). *Προέθηκε δὲ κατ'* ἀρχὴν ἑκάστης λέξεως τριῶν ἢ τεσσάρων [9]) στοιχείων

---

[4]) Hemst· eiusdem vocabuli repetitione offensus „πάσας, πᾶσι, πάσας" coni. „καὶ τὰς σποράδην παρ' ἄλλοις κειμένας λέξεις συναγαγών." Temere. Ita enim scriptoris et consilium pervertitur, et obscuratur indoles.

[5]) τὰς παρὰ τοῖς ἰατροῖς e coni. scripsit Musurus. Ita postea articulum addidi in τοῖς πλουσίοις.

[6]) Ὁμοῦ] „orationem laedit. Lege ὁ μὲν, Diogenianus." HEMST. Ὁ μὲν recepit Ruhnk. praef. ad Hesych. vol. II, p. XI. Dubius haeret Valcken. Schediasm. (Opusc. II, p. 160.). Mihi μὲν incommodum esse continuamque orationem male interpellare videtur. Retinendum est ὁμοῦ, et cum συλλήβδην coniungendum, (cfr. Hesych. II, p. 1291. „Συλλήβδην· ὁμοῦ συλληπτικῶς, ὡς δι' ὀλίγων πολλὰ εἰπεῖν συντόμως." Adde Hesych. I, p. 745. s. v. βοτρυδόν, „καὶ κατὰ συστροφήν· ἢ συνηγμένοι. ὁμοῦ" quibus in verbis punctum, quo in Albertino libro ultima seiunguntur, delendum esse suspicor. Nam grammatici tales particulas lubentissime frequentant, ut si dicunt ἴσως τυχὸν, ἀεὶ κατακόρως, ἀεὶ συνεχῶς et similia, quorum largam segetem ex doctrinae suae copia Schaeferus, vir doctissimus, profudit ad Greg. Corinth. p. 169. seq. συλλήβδην autem ubique interpretantur ὁμοῦ Etym. Magn. 734, 14.

[7]) ὥστε in cod. Ven. scriptum est. Musurus temere de suis addidit ἡμᾶς εἰδέναι. Primum enim de se cum loquitur, nusquam plurali numero utitur; deinde tota sententia claudicat, quia scriptor paullo post, se plurimas voces addidisse, profitetur. Reiskius pro ὥστε ἡμᾶς εἰδέναι legit ὥς γε ἡ. εἰδ. Frustra. Vox delenda esse videtur, aut pro compendio habenda vocabulorum „ὡς εἰπεῖν;" qua in opinione, per se probabiliori, Bastii verbis confirmor ad Greg. Corinth. p. 223. Schaef. „Omnino magni ad Hesychium emendandum momenti est, probe nosse ductus litterarum scribendique compendia, quibus librarii decimo seculo usi sunt."

[8]) Ambiguitur inter interpretes, utrum haec verba de scriptoribus intelligenda sint, an de lexicographis Hemst. nihil discrevit: Albertus (in notis) et Ruhnk. (in praef. ad Hesych. II, p. XI.) iure suo favent posteriori sententiae.

[9]) Pro τριῶν καὶ τεσσάρων scripsi ἢ τεσσάρων e coniectura Ἢ et καὶ non raro inter se mutantur, cfr. Porson. ad Eurip. Orest. v. 821.

τάξιν, ἵν' οὕτως εὐμαρεστέραν ἔχοι τὴν εὕρεσιν ἧς ἐπιζητεῖ τάξεως[10]) ὁ τοῖς βιβλίοις ἐντυγχάνειν προαιρούμενος· καὶ πρὸς τούτοις ὅσας οἷός τε ἦν παροιμίας εὑρεῖν οὐδὲ ταύτας παρέλιπεν· ἐπιγράψας τὰ βιβλία Περιεργοπένητας, καὶ ταύτῃ χρησάμενος τῇ διανοίᾳ· ἡγεῖτο γὰρ, οἶμαι[11]), μὴ μόνοις [τοῖς] πλουσίοις[12]), ἀλλὰ καὶ τοῖς πένησι τῶν ἀνθρώπων χρησιμεύσειν τε καὶ ἀντὶ διδασκάλων ἀρκέσειν αὐτά· εἰ μόνον περιεργασάμενοι πανταχόθεν ἀνευρεῖν ταῦτα δυνηθεῖεν καὶ ἐγκρατεῖς αὐτῶν γενέσθαι. Ἐπαινῶ μὲν[13]) ἔγωγε τὸν ἄνδρα καὶ τῆς φιλοκαλίας καὶ τῆς σπουδῆς, ὅτι χρησιμωτάτην πραγματείαν καὶ τοῖς σπουδαίοις τῶν φιλολόγων ὠφελιμωτάτην χορηγίαν πρὸς ἅπασαν παιδείαν προείλετο παρέχειν. ἐβουλόμην δὲ αὐτὸν μήτε τὰς πλείους τῶν παροιμιῶν ψιλῶς καὶ ἄνευ τῶν ὑποθέσεων τεθεικέναι, μήτε τὰς ἐξητημένας τῶν λέξεων[14]) οὐκ ἔχουσαν τά τε τῶν κεχρημένων

---

10) Hemst. coni λέξεως, bene quidem, sed praeter necessitatem.

11) Hemst. coni. „ἐπιγράψας δὲ τὰ β. Π. καὶ ταύτῃ (vel τοιαύτῃ) χρησ., οἶμαι, τῇ διανοίᾳ ἡγεῖτο μὴ“ cett. aut „ἐπέγραψε δὲ τὰ βιβλία Π.“ cett. Nulla mutatione opus est. Priore coniectura aperte, quae corrigere volebat, depravata exhibuit. — Faber καὶ ante ταύτῃ χρησ. delendum esse censuit; iam ab Alberto refutatus. Solent ita loqui grammatici. Ut exemplum afferam Schol. ad Thucyd. IV. καὶ τὸν πολέμιον δεινότερον ἕξομεν) ἡ διάνοια τοιαύτη, οἱ πολέμιοι (φησὶν) ὑποχωρησάντων ἡμῶν. Vol. V. p. 451. ed. Bipont. quod dicendi genus notatum est iam Stephano Proparasc. p. 6. (T. VI. Bip. edit.) „ὁ δὲ νοῦς· φησὶν ὅτι cett.

12) Articulum e coni. addidi, quanquam id ipsum fortasse non est necessarium.

13) Musurus οὖν adiecit. Quam proni fuerint scribae ad inferciendum οὖν, ostendit Schaef. Anim. ad Plut. V, p. 380. Eorum exemplum saepe Musurus secutus est.

14) Totum hoc membrum ab Hesychii interpretibus male scriptum et intellectum est. Hemst. enim, ut ab eo incipiam, nisi scriptoris mentem incompertam habuisset, haud dubie coniecturam proponere non potuisset, quam ipsius verbis servatis huc apponam. „Quae sunt,“ ait, „ἐξητημέναι τῶν λέξεων; si capias *vocabula, quae exquiruntur in lexico*, valde duram dederis interpretationem. Difficultas omnis erit sublata, modo legeris ἐξηγήσεις· quo quid magis adpositum ad rem, quae tractatur, comminiscaris? Vox et propria et corruptae propinqua.“ Nihil autem est vulgata scriptura verius. Nam quae sint ἐξητημέναι τῶν λέξεων ex aliorum gram-

ὀνόματα, καὶ τὰς τῶν βιβλίων ἐπιγραφὰς, ἔνθα φέρονται, τάς τε πολυσήμους αὐτῶν παραδραμεῖν καὶ ἀσαφεῖς παραλιπεῖν. δέον δὲ καὶ ἐν ταύταις ἑκάστης διαφόρου διανοίας τὴν παράστασιν ἀπὸ τῆς τῶν χρησαμένων μνήμης παρασχεῖν. Ἅτινα σύμπαντα καὶ τῆς παρ' ἡμῶν ἐπιμελείας δεηθέντα κατὰ δύναμιν τετύχηκε πάσης [15]), ἐν δευτέρῳ κειμένης τῆς τῶν φιλεπιτιμητῶν

---

maticorum usu aeque atque ex Hesychii ipsius interpretatione intelligitur. Easdem enim voces postea σπανίων εἰρημένας vocavit, i. e. contra vulgarem usum et consuetudinem dictas. Neque alia ratione vocem adhibuit Diodorus Polionis filius, qui, ut Suidas s. v. Πωλίων refert, „ἐξήγησιν τῶν ζητουμένων παρὰ τοῖς δέκα ῥήτορσι" composuit. Eodem modo Parthenius scripsit περὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἱστοριογράφοις λέξεων ζητουμένων, secundum Athenaeum, XI, p. 467, c., et Philostratus ap. Suid. s. v. ζητούμενα παρὰ τοῖς ῥήτορσι edidit. Cfr. Valck. Opusc. p. 162. Alia sciens praetereo. Hemsterhusii contra ἐξηγήσεις ferri non posse, dilucide ostendit id, quod oppositum est τὰς πολυσήμους αὐτῶν sc. τῶν λέξεων. Sed id ipsum, ἐζητημένας et πολυσήμους sibi opponi a scriptore, fugit Hemsterhusium, et ad quem nunc transeo, Albertum. Is enim graeca verba latine reddidit ita: „Mallem vero, ut pleraque Proverbia non nude et absque Argumentis posuisset; neque *Vocabula*, quae conquisiverat, Auctorum suorum nominibus destituta, et Titulos librorum, in quibus habentur, quaeque ex iis [vocabulis] varias habent significationes, leviter attigisset tantum et obscuras reliquisset: quum oportuerit cett., in quibus aperte distraxit coniungenda, distrahenda autem coniunxit: ut nihil dicam de errore in vocibus „τὰς ἐζητημένας τῶν λέξεων" interpretandis commisso. Mea quidem si vera est sententia, Hesychius duo reprehendit, primum quod Diogenianus proverbiorum argumenta omiserit, deinde voces et insolenter adhibitas, et multa significantes leviter attigerit et obscuras reliquerit. Ita enim iam antea proverbia et voces separavit. Praeter voces ζητουμένας autem ad πολυσήμους quoque animum advertisse grammaticos, ut multa alia ostendunt, ita Longini liber docet, Suidae s. v. Λογγῖνος memoratus, „περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πολλὰ σημαινουσῶν λέξεων." Membra igitur ita sibi respondent: μήτε — μήτε; deinde sibi opponuntur τὰς ἐζητημένας τῶν λέξεων — τάς τε πολυσήμους αὐτῶν (fortasse legendum τάς τε ζητουμένας). Iam quo modo rariora vocabula obscura relicta sint, additur: οὐκ ἐχούσας τά τε — καὶ τὰς —; idemque de vocabulis multa significantibus praedicatur, membro addito „δέον δὲ" cett. quae sine iusta caussa Hemst. sollicitavit. Ceterum monendum est, Musurum ante vocem παραδραμεῖν — μὴ, quod aberat in codice, temere adiunxisse, et interpretes fefellisse. In sequentibus vocem παράστασις explicavit Alberti ad h. l. Adde Schaef. ad Greg. Corinth. p. 415. seq. Morus Animadv. in Longin. p. 29. Kühn Indic. Graecit. ad Aeliani V. H. p. 430. s. v. παρίστημι.

[15]) πάσης non pertinere ad μέμψεως, sed ad ἐπιμελείας con-

μέμψεως. Οὐ γὰρ ὀκνήσω, μετὰ παῤῥησίας εἰπεῖν, ὅτι τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας, καὶ τὰ βιβλία προςθεὶς Διογενιανοῦ, ὃ πρῶτον καὶ μέγιστον ὑπάρχει πλεονέκτημα, [πάντα] δ' αὐτὸς [16]) ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ἐγὼ μετὰ πάσης ὀρθότητος καὶ ἀκριβεστάτης γραφῆς, κατὰ τὸν γραμματικὸν Ἡρωδιανὸν, λέξιν μὲν οὐδεμίαν παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πλείστας [17]) οὐχ εὑρὼν προςτέθεικα, ἐκείνην δὲ γραφῆς [18]) ἠξίωσα, ἧς εὕρισκον καὶ τὴν διά-

---

suit Hemst.; Albertus antiquam construendi rationem servavit; ego Hemst. accedo. Albertus enim ἐπιμελείας genitivum brevitatis caussa semel tantum positum esse ratus, et πάσης, quia dictum erat κατὰ δύναμιν, non necessarium fuisse perhibens: si rem ipsam spectamus, bene; male, si nostri scriptoris indolem respicimus, iudicavit; cuius tota epistola pleonasmis referta est.

16) Schowio auctore, p. 1. codex Marcianus ita locum exhibet. „Διογενιανοῦ, ὃ πρῶτον καὶ μέγιστον ὑπάρχει πλεονέκτημα δ' αὐτός" et cett., quae Musurus mutavit, πλεονέκτημα ταῦτα δ' αὐτὸς et Aldina sine distinctione post πλεονέκτημα dedit. Schrevelius punctum posuit; Alberti cum edit. Hagen. comma. Verum vidisse Musurus videtur; δ' enim aliquid omissum esse arguit. Fortasse excidit: πάντα, nisi forte cum signo commatis δ' mutatum est. cfr. Bast. Comment. Palaeogr. p. 803. ed. Schaef. coll. p. 860. — Ceterum similiter locutus est Epiphanius Monachus in Διηγήσει εἰς τόπον περιηγητοῦ περὶ τῆς ἁγίας πόλεως p. 63. „καὶ εἶδον οἰκείοις ὀφθαλμοῖς."

17) πλείστας cod. πλεῖστα Fabr. bibl. Gr. IV, S. XXXV. §. 5.

18) Scripsi γραφῆς e coni. Cod. et omnes editt. γραφήν. Haec verba intellectu difficilia latine reddidit Albert. ita: „Illam vero scripturam amplectendam censui, cuius et notionem sensum continere perfectum et phrasin probatam ac perspicuam esse deprehendebam." Id equidem neque satis intelligo, neque video, quo modo, qui antea se in scriptura vocum Herodianum secutum esse dixerat, nunc iterum ita de scriptura loqui possit. Quare mutationem admittendam esse censeo, ut pro γραφήν genitivum ponamus γραφῆς. Quam si recipimus, omnia apte dicta sunt. Loquitur enim Hesych. de vocibus a se primum receptis et in Diogeniani lexicon illatis „illam autem (vocem) dignam, quam reciperem, censui, cuius inveniebam et notionem aliquid perfecti complectentem et dictionem probatam et perspicuam." Solent grammatici disputare de φράσει τῶν λέξεων, ut Phryn. Lobeckii, qui τὰς ἀδοκίμους τῶν φωνῶν colligere voluit, cfr. Valck. praef. ad Ammon. p. XXXII. ed. Lips. et de earum διανοίᾳ, ut ipse Hesych. antea διάφορον διάνοιαν commemoravit. Similiter Eustathius ad Hom. Odyss p. 1914, 54. „εἰ δὲ καὶ τοιαῦται παιδιαὶ γραφῆς ἠξιοῦντο τοῖς παλαιοῖς". Qui meam hanc emendationem improbat, γραφὴν pro *libro* dictum putabit, ut ap. Diod. Sicul. Biblioth. XVI, 76. „περιείληφε δὲ τῇ γραφῇ" et alibi. Ce-

νοιαν τέλος περιέχουσαν καὶ τὴν φράσιν μετὰ τοῦ δοκίμου σαφῆ. Ταῖς [19]) παροιμίαις ἀποδέδωκα τὰς ὑποθέσεις· καὶ τῶν πλειόνων λέξεων καὶ σπανίως εἰρημένων [20]), οὐ μόνον αὐτῶν τῶν χρησαμένων τὰ ὀνόματα προςγέγραφα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐπιγραφάς· πάντων [21]) μὲν ἀπὸ τῶν ἀντιγράφων προςτιθεὶς, οὐδαμοῦ δὲ πονεῖν παραιτησάμενος, ὡς ἂν μὴ καὶ αὐτὸς [22]) μέμψιν ὀφλήσαιμι δικαίως τινὰ καὶ οἷς ἐγκαλῶ Διογενιανῷ πεπτωκὼς [23]) φανείην. Καὶ πληρώσας τὴν πραγματείαν, ὅσον

---

terum locutionem τέλος περιέχειν insolitam esse, nemo non videt. Sequitur simile quid.

[19]) τε addidit Mus. ταῖς τε π. praeter necessitatem. Si quid adiiciendum est, δὲ eligemus potius.

[20]) Haec verba interpretes vehementer vexarunt. „Sensus," ait Kusterus, „cum constructione hic claudicat. Quare rescribo καὶ ταῖς πλείοσι τῶν λέξεων καὶ σπανίαις εἰρημέναις." Hemst. contra „πλείονες quo modo conveniant cum σπανίως εἰρημέναις? lege παλαιῶν, quum frequens apud grammaticos παλαιὰ λέξις dictio vetusta et insolita, quae rarius occurrat. Παλαιὰ λέξις lexicon, quod vetusta vocabula declaret." Albert. denique „Alioquin sensus fuerit, se plurimis vocibus et in primis rarioribus auctoritatem addidisse. Ceterum vel constructionis oblivio in his admittenda est, vel Kusteri emendatio." Haec exemplo inservire possunt, quo ostendatur, saepe doctissimos homines, si primus veritatem non agnovit, alterum ab altero falli et decipi. Sunt enim genitivi, quos vocant, absoluti, „quia plurimae voces simul sunt raro dictae," itaque veterum testimonia requirunt. Quae autem legimus, his explicantur et explicant haec vicissim. Λέξεις πολλὰ σημαινούσας omnino praeteriisse aut attigisse levissime Diogenianus perhibetur; propterea eas hoc loco non attigit.

[21]) πάντων codex et Musur. Immerito sollicitavit scripturam Alberti et duas proposuit coniecturas aut „τὰς ἐπ· πάντων (sc. βιβλίων) ἀεὶ τῶν ἀντιγράφων μὲν προςτιθεὶς" aut, errore ex compendio nato, „τὰς ἐπιγραφὰς, πάντα μὲν ἀπὸ" cett. Nam πάντων μὲν et οὐδαμοῦ δὲ opponuntur sibi; πάντων autem pro πάντως poni, vide in ipso libro Hesychii II, p. 855. Alb. Similiter ap. Greg. Corinth. p. 73. ed. Schaef. ὡς καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ πάντων μὲν μάλιστα ἐν τῇ ὀγδόῃ." Quum autem Stephanus e cod. dederit „πανταχοῦ μὲν, μάλιστα δὲ" Regg. „πανταχῇ μὲν, μάλιστα δὲ" fortasse ibi quoque πάντων retinendum est. cfr. Apollon. Dyscol. in Greg. Corinth. Schaefer. p. 313. τὸ παντὸς ὀξύνεται· ἡ δὲ πάντων γενικὴ βαρύνεται· ἔνθεν καὶ τὸ συνὸν ἐπίῤῥημα συμβαρύνεται" cett. Postea tacite ad πάντων transit.

[22]) αὐτῶν cod. αὐτὸς Fab. et Hemst. coni., probante Alberto.

[23]) Codicis scripturam ferri posse puto. Kusterus coni. pro simplici πεπτωκὼς „ἐν τούτοις αὐτὸς πεπταικὼς" nimis audacter.

εἰς ἀνθρωπίνην ἐλήλυθε κρίσιν τέλος[24]) γεγενημένην, εἰ μή πού τις ἢ σαφὴς οὖσα λέξις, ἢ οὐκ ἀναγκαία παραλέλειπται, ἀπέστειλα πρὸς τὴν σὴν ἀναμίλλητον[25]) φιλίαν πεπεισμένος μὲν εἶναι τὸ κτῆμα· μετὰ δὲ, τὴν σὴν καὶ μειζόνων ἀξίαν ὑπάρχουσαν[26]). Εὔχομαι δὲ τῷ Θεῷ σωζόμενόν σε καὶ ὑγιαίνοντα χρήσασθαι τοῖς βιβλίοις.

Hemst. „περιπεπτωκὼς," sed praepositionem omissam condonare possumus Hesychio.

24) Servavi cod. scripturam, quanquam permiram; quia voce „τέλος" peculiari ratione grammaticus usus esse videtur. Faber coni. τετελεσιουργημένην, consummatam, absolutam" Hemst. „τελείαν," cui coniecturae momentum accedit ex Comment. Palaeog. Bastii p. 845. ed. Schaef.

25) Ms. ἀναμείλικτον φ. Mus. ἀναμίλλητον, quem Aldina sequitur. (Quod enim Schowius ait „Lectio Aldina a typotheta est" quum idem dixerit, Mus. ἀναμίλλητον scripsisse, me non intelligere fateor.) Eandem enim scripturam in Aldina reperiri testantur Kust. Hemst. Albertus. An Schowius Schrevelianam solam inspexerat editionem, quae hac una in voce praeter consuetudinem suam Hagenoensem non Aldinam secuta est? —) et Florentina Hagenoensis ἀναμίλλικτον unde? Cod. vitiose.

26) Locus corruptus est. Scaliger coni. μέγα pro μετὰ, Valck. μέγα, τὴν δὲ σὴν cett. Verwey „πεπ. μὲν εἶναι τοῦ κτήματος τὴν σὴν φιλίαν καὶ μ. α. ὑπ. εὐχόμενος δὲ" quod Alb. versione sua expressit. Hemst. animum scriptoris „πεπ. μὲν εἶναι τὸ κτῆμα μέγα, τὴν δὲ σὴν φιλίαν καὶ μειζόνων ἀ. ὑπ. cui assentior.

27) Addita est huic epistolae admonitio quaedam ad lectores Δεῖ εἰδέναι τὸν λέξιν τινὰ ζητοῦντα ἐν τῷ Λεξικῷ τούτῳ, ὅτι εἰ σύνθετός ἐστιν ἡ λέξις ἣν ζητεῖ, πολλάκις διαιρῶν αὐτὴν εἰς τὰς ἐξ ὧν σύγκειται, εὑρίσκει αὐτῆς τὴν ἑρμηνείαν ἐν τῷ ἀρκτικῷ αὐτῆς γράμματι ἑνὸς τῶν μερῶν αὐτῆς. οἷον ἀνθρωποείκελος μὲν, ὡς κεῖται ἐν συνθέσει, οὐκ ἔχει· ἐὰν δὲ διέλῃς τὴν λέξιν καὶ ζητήσῃς ἐν τῷ Εἶκῳ, εὕρῃς· εἴκελος (ita cod. praebet, Mus. coni. εὕροις ἂν. Ald. ed. ex errore typothetae εὗρος ἂν) ὅμοιος· ὡς εἶναι (cod. vitiose ὁμοίως εἶναι) τὴν πᾶσαν λέξιν ἀνθρώπῳ ὅμοιον. καὶ ἐπὶ πολλῶν (Hemst. temere coni. ἄλλων) λέξεων τοῦτο ποιῶν, πολλάκις, ὡς εἴρηται. εὑρίσκεις τὸ ζητούμενον." Ea verba Hesychii esse non posse Faber contendit „et qui iudicio," ait, „aliquo valent, et qui Graecismi sensum aliquem habent, ii scio a me diversi haud abierint." Albert. autem non solum assensionem Fabero praebuit „Optime monuit Faber. Verbum non addo, quisque sentit" sed suspicatur etiam, Musurum haec ipsum de suis addidisse. Quae quidem coniectura infelix fuit, ut Schowius, codicem contemplatus, docuit. Utrum γνήσια videri possint, nec ne, postea elucebit.

CAPUT TERTIUM.

IUDICIUM DE EPISTOLAE SCRIPTORE EX EIUS SCRIBENDI GENERE ADUMBRATUM.

Non est, quod commoneam, Hesychium in tanta, quantam ipse confitetur, rerum ex aliorum libris haustarum copia ex epistola melius et facilius, quam ex lexico cognosci et diiudicari. Licet enim verum esset, quod Valckenarius contendit, epistolae scriptorem multa pannis suis commiscuisse aliena (cfr. Valck. Opusc. II. p. 157.), ratio tamen eius et oratio propria est et qualis homo fuerit nobis ostendit. Et hoc ipsum Valckenarius demonstrare voluit, tam ineptam esse epistolam, librumque tam praeclarum, ut glossarii conditor pro prudentissimo viro habendus, scriptor epistolae contra, ut ultimi aevi Graeculus, contemnendus sit. Intelligimus tamen, Valckenarium interdum quidem vere iudicasse; universe autem nimia cupiditate seductum, alia male intellexisse, alia iusto severiore censura perstrinxisse.

Quicunque accurate et diligenter perlegit epistolam, ei extra controversiam verum esse videbitur: eius scriptorem omnis in dicendo elegantiae expertem miram adamare ineptamque verborum exsuperantiam nec obscura prodere negligentiae signa. Exemplis non opus est. Quid enim? nemini non molestum erit *πάσας*, *πᾶσι*, *πάσας* ad satietatem usque repetitum; additum illud *ὁμοῦ;* membrum, quale hoc est, „*αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ἐγὼ μετὰ πάσης ὀρθότητος καὶ ἀκριβεστάτης γραφῆς*“ et alia similia. Festi-

no ad maiora, nec a quoquam hucusque explicata. Narratur enim ab Hesychio, Diogenianum magnum lexicon scripsisse, titulumque libris singulis imposuisse: *Περιεργοπένητες*, quae vox in nullo alio libro reperitur. En! miram apud hunc quoque inscriptionis felicitatem, quam Plinii Gelliique exemplis addere possumus. Videamus autem, qualem lexicographus graecae vocis eiusque novitii Graecarum Musarum operis interpretem sese gesserit. „*Ἡγεῖτο γάρ,*“ ait, „*οἶμαι, μὴ μόνοις [τοῖς] πλουσίοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς πένησι τῶν ἀνθρώπων χρησιμεύσειν τε καὶ ἀντὶ διδασκάλων ἀρκέσειν αὐτά, εἰ μόνον περιεργασάμενοι πανταχόθεν ἀνευρεῖν ταῦτα δυνηθεῖεν καὶ ἐγκρατεῖς αὐτῶν γενέσθαι.*“ Haec verba quotiescunque lego, semper redeo incertior. Quid enim sibi vult homo? Quaenam sunt illa, quae reperire, et quorum compotes fieri posse pauperes censet? Quae est notio verbo *περιεργάζεσθαι* ab Hesychio hic subiecta? Adeamus igitur Albertum, petamusque auxilia ab illo parata. Latine reddidit scriptoris mentem ita „quod existimaret, non divitibus solis, sed et *pauperibus* hominibus inservituros eos, et praeceptorum vice futuros satis, dum modo *curiose* eos undique *conquisitos* reperire, eorumque compotes fieri possent.“ *Ταῦτα* igitur et *αὐτῶν* ad libros ipsos traxit; quos si undique conquirunt pauperes et reperiunt, nullo indigent praeceptore. At quaeri potest de notione vocis *περιεργάζεσθαι*, conquirere, ubi reperiatur? unde oriatur? Et quid sibi velit illud *reperire?* dictum pro: comparare sibi, acquirere? An equidem Alberti sententiam male intelligo? Etenim in notis paullo aliter rem interpretari videtur. „Vocem compositam,“ inquit, „Diogenianus excogitavit, ut ipso titulo *pauperiores* etiam *curiose* omnia investigantes hoc libro cum fructu uti posse indicaret. — Curiosegeni reddi forte posset, vel curiosegenilegi, voce ad Graecam conficta: quamvis latine non aeque commode uno vocabulo exprimi queat.“ Iam enim pauperes non libros conquirunt amplius, sed *omnia investigant.* Nimirum in versione totus ab Hesychii verbis pendebat; in nota autem, for-

tasse suae sibi inconstantiae ipse non conscius, illius interpretationem negligebat, suumque ipsius iudicium sequebatur. Albertus igitur rem ita cepit: *Περιεργοπένητες* sunt *πένητες περίεργοι*, pauperes curiosi vel curiosopauperes, ut in verbis monstrosis formandis post Albertum ipsi quoque periclitemur. Egenos enim male invexit, cfr. Intptt. antiq. et recentiores ad Aristoph. Plut. 548 seqq. Librum igitur suum Diogenianus pauperibus litterarum perquam studiosis destinavit. In eandem sententiam Schneiderus in lexico graecegermanico vocem interpretatus est: der Titel eines Buches, für arme Studirende geschrieben, den Hesychii Vorrede zum Lexico anführt;" neque aliter Passowius aliique. Eaque interpretatio, si rem ipsam spectamus, non inepta est. Verbi caussa Lucianus, *πρὸς ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον*, cap. 4. „*ὡς εἴγε τὸ κεκτῆσθαι τὰ βιβλία καὶ πεπαιδευμένον ἀπέφαινε τὸν ἔχοντα, πολλοῦ ἂν ὡς ἀληθῶς τὸ κτῆμα ἦν ἄξιον, καὶ μόνον ὑμῶν τῶν πλουσίων, εἰ ὥςπερ ἐξ ἀγορᾶς ἦν πρίασθαι τοὺς πένητας ἡμᾶς ὑπερβάλλοντας.*" Sed ad Hesychium redeamus necesse est. Is vocem deducit a *πένητες* et *περιεργάσασθαι:* praeterea pro comperto nihil habeo. Sed hoc ipsum ab errore non procul abest, quum ultra vocem *περίεργον* progredi non liceat. Ultimum illud si contemplor „*ἐγκρατεῖς αὐτῶν γενέσθαι;*" id profecto optime quadrat, si ad libros trahitur hosce, quorum compotes fieri possunt. Hoc si sumimus, *ἀνευρεῖν* potest pro: comparare sibi, *ἐκπορίζειν,* dictum esse. Ita *εὑρέσθαι* usurpari solet, cfr. Ammon. de differ. vocab. p. 61. ed. Valcken. et activum quoque interdum simili ratione adhibetur, cfr. Schweighaeuser in Lexico Herodoteo, T. I. p. 297. s. v. *εὑρίσκειν* n. 3. Superest igitur illud *περιεργασάμενοι,* quod ita fortasse explicabitur ex Hesychii mente; *ἐργάζεσθαι χρήματα* est apud Herodotum I, 24., parare sibi pecuniam. Quid igitur? si ita voluit dicere? „dummodo diligenter undique parata pecunia, vel paratis rebus hos libros acquirere et eorum compotes fieri possent." Tamen dubius haereo, quia Hesychius si talia in illo titulo expressa esse crederet,

nimis absurdus esset. Alias igitur rationes quaeramus. Ἀνευρεῖν ita dictum est, ut non de libris, sed de vocibus scriptor cogitasse videatur. Περιεργάζεσθαι nihil est hoc loco fortasse, nisi diligenter agere; quare in hanc interpretationem verborum incidimus: „dummodo pauperes, diligenter actis rebus [diligenter lectis scriptoribus] haec ipsa [quae nesciunt] undique collecta reperire et tenere possent. Sed quomodocunque epistolae scriptor ea ceperit, haud dubie a veritate aberravit. Quare age novam interpretationem facere conemur; quae si verior est, a lexicographo non licebit multa et magna sperare.

Duae igitur partes vocabuli, quum sese prodant ipsae, quaeritur primum, quid singulae significent. Ac περιεργία quidem curiositatem, sedulitatem, nimiam diligentiam notat. „Est etiam," ait Quinctilianus, Inst. Oratt. VIII, 3. „quae περιεργία vocatur, supervacua, ut sic dixerim, operositas." Diogeniani autem aetas, quum in secundum, ut videbimus, saeculum incidat, nihil est nobis gravius, nisi Aeliani dicendi ratio, ad eandem aetatem pertinentis. Eius usum autem optime explicavit Perizonius ad V. H. II, 44. „Περιεργάζεσθαι enim proprie est *summa et paene immodica cura aliquid facere.* — Hinc vero, quia omne nimium vertit plerumque in vitium, περίεργον notare etiam coepit supervacuum, inane, quale quid in immodica inesse solet cura" cett. Quanquam quo modo Aelianus voce utitur, eundem omnes tenuere Graeci scriptores.

Πένης quid significet, non minus notum est; neque latet, qua ratione cum περίεργον coniungatur. Πένης enim apud Graecos, ut apud Latinos pauper, cfr. Hor. Sat. I, 1, 79. II, 8, 142. alibi, construitur interdum cum genitivo, ut πένης χρημάτων ap. Eurip. Electr. v. 37. cfr. Matth. Gr. Gr. p. 662 seqq. Adde Lucianum pro merced. conductt. c. 11. „οὐδ' ἡμεῖς οὕτω πένητες εὐλόγου ἀπολογίας." Quare non fallimur, credo, si coniungimus περιέργου πένητες, rerum supervacuarum pauperes. Qui enim suo hoc uterentur libello, eos esse voluit non inani rerum pondere pressos, sed

necessaria tantum supellectile instructos. Ita vocabulum neque inepte compositum, neque male excogitatum dicere possumus. Similem vocem quaerendo incidi in Herodoteam II, 6. VIII, 111. γεωπεῖναι, in qua explicanda veteres et recentiores lexicographi desudarunt, cfr. Gloss. Herodot. ap. Schweigh. Herod. VI, II. p. 346. quas descripserunt Greg. Corinth. §. 114. Hesych. Suidas; et Glossam Platon. Tim. p. 68. ed. Ruhnken. in Suidae quoque lexico obviam; et interpretes, Bast. et Schaef. ad Gregor.; Ruhnken. ad Timaeum; Schweigh. in Lex. Herod. I. p. 131. Hanc autem Diogeniani mentem fuisse, ipsa docent Hesychii verba. Nude enim posuerat pleraque proverbia; scriptorum nomina, librorumque titulos plerumque praetermiserat; eaque omnia inutilia esse et vana iudicaverat. Mox autem vel melius ea perspiciemus.

His expositis, intelligimus, lexicon a solo Hesychio compositum ipsiusque inventis refertum non fuisse magno desiderio exspectandum. Idem aliis testimoniis probare studuit Valck.; quae quum ex parte iam ab Ruhnkenio explosa, ex parte a nobis ipsis in notis refutata sint, nunc praeterire satius duxi. Ceterum praefationis argumentum, qua quid antiqui praestiterint, quod operis consilium sit, quibus argumentis auctor adiutus fuerit, docetur, sibi non inepte elegit. Sed vocor et rapior ad res maiores.

CAPUT QUARTUM.

DE DIOGENIANO LEXICOGRAPHO.

§. 1.

Eius lexicon inesse Hesychiano.

Rerum ab epistolae scriptore traditarum nulla vel gravior est vel dubia magis, quam narratio de Diogeniani cuiusdam lexico. Haec inprimis Valckenarium et Ruhnkenium in certamina sua coniecit; ab hac nostrum quoque de Hesychiani lexici origine iudicium maxime pendet; haec igitur nobis prae ceteris examinanda est. Singula deinceps explicabimus.

Si Hesychii verba recte intelligo, sese Diogeniani lexicon totum descripsisse, et nulla dempta voce repetitum, multisque additamentis auctum edidisse profitetur. Nihil aliud esse ait opus suum, nisi eiusdem libri editionem alteram, ut vulgo dicere solemus, eamque emendatiorem et copiosiorem. Quod si verum est, quidquid ab antiquis grammaticis ex Diogeniano citatur, ad verbum apud Hesychium reperiatur necesse est. Hanc autem viam, quae vera sint, reperiendi, Ruhnkenius iniit, a Valckenario prorsus neglectam, sed ab omni parte necessariam. Quare ut legentibus omnia perspicua sint, exempla ab Ruhnkenio allata iam repetere placet; iis quae aut omiserat ille aut recentior aetas protulit, additis; cfr. praef. ad Hesych. II, p. XI et Dav. Ruhnkenii Oratt. Dissertt. et Epist. p. 202. seqq. ed. Friedem.

In Scholiis Platonicis, ab Imm. Bekkero editis, Diogenianus quater laudatur, in Lysin p. 319. in Ionem, p. 333. in Legg. p. 451. in Hipp. maiorem, p. 394; quanquam Bekkeri index in hac re non satis accurate compositus, tres tantum indicat locos. In Lysin ad vocem Ἑρμαῖα legitur Scholium „λέγεται δὲ καὶ παίδων οὕτως ἀγὼν παρὰ Συρακουσίοις, ὥς φησι Διογενιανός." Nescio cur Ruhnkenius, in Scholiis ut qui maxime versatus, haec intacta reliquerit. Apud Hesychium quidem huius rei ne minimum quidem est vestigium. An igitur Ruhnkenius quoque celebratam illam noverat rationem, quae adversari viderentur, ea praetermittendi? Vix ac ne vix quidem id mihi persuadere possum. Ad Ionem „Διογενιανὸς δὲ Μαγνῆτιν μὲν πλανᾷν λέγει τὴν ὄψιν λίθον, ὡς εἴη ἀργύρῳ ἐμφερής, τὴν δὲ Ἡρακλεῶτιν (Ἡρακλείαν Sieb. male ex Platone.) ἐπισπᾶσθαι τὸν σίδηρον" (Ruhnkenius λίθον transposuit, et collocavit post Μαγνῆτιν, ante λίθον, nescio quo consilio). Hesychius „Μαγνῆτις λίθος· αὕτη πλανᾷ τὴν ὄψιν, ἀργύρῳ ἐμφερὴς οὖσα· ἡ δὲ Ἡρακλεῶτις τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται." Similiter antea s. v. Λυδικὴ λίθος — αὕτη μὲν τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται· ἡ δὲ Μαγνῆτις διεσπᾶται (cod. διασπᾶσαι) τὴν ὄψιν, ὡς δοκεῖν ἀργύριον εἶναι." Adde vocem Ἡρακλεία λίθος βασανίτης (scrib. pro βασανιστής ex cod.) et intptt. ad ll. ll. inprimis Diogen. Provv. V, 2, p. 218. — Ad Hippiam mai. „διανεκῆ· διὰ παντός. οὕτω καὶ Διογενιανός" Hesych. διανεκές· διὰ παντός·" scriptura diversa; paullo aliter Moeris Attic. „διανεκεῖ" p. 95. seq. ed. Lips. cfr. Bekk. Comment. crit. in Plat. I, p. 469. Heindorf. ad Hipp. mai. p. 301, b. §. 48. Quare nihil in his difficultatis. — Ad Legg. denique „ἀνιδιτί, ἀνιδρωτί, ὡς ἐν τῷ Διογενιανῷ." In Hesych. „ἀνιδιτί, ἀνιδρωτί." Praeter primum igitur locum omnia ex Diogeniano in Platonicis Scholiis laudata exstant. Propterea Ruhnkenius tam audax factus est, ut quum a Scholiasta ad Platonis Conviv. (p. 375. ed. Bekk.) de voce ὀκρίβας eadem dicta esse vidisset, quae in Hesychiano lexico, II, p.

738. ed. Alb. leguntur, Scholiastem glossae interpretationem ex Diogeniano hausisse colligeret, ad Tim. p. 190. Neque temere id suscepit.

In Photii lexico, p. 5. ed. Pors. „Ἆ ἆ· ἐπὶ τοῦ μεγάλου· ἔστι δὲ καὶ σχετλιαστικὸν ἐπιφώνημα· δασυνθὲν δὲ γέλωτα δηλοῖ· ὥς φησι Διογενιανός.“ Albertus ad Hesych. et Ruhnk. ἀναφώνημα, cfr. Corrig. et Addend. in Porson. exempl. ab init. Hesychius habet ea omnia, sed is quoque ἐπιφώνημα, vide Henr. Steph. s. v. In Photii quoque lexico, possumus, si quae ibi, ut apud Hesychium, leguntur, ea esse ex Diogeniano sumpta suspicari.

Accedimus ad Etymologicum Magnum. Unum locum enotavit Ruhnkenius, p. 216, 29. „βρύττειν, ἐσθίειν. Διογενιανός· εὗρον ἐγώ·“ quae eadem apud Hesych. II, p. 776. ed. Alb. Memoratu digna sint ultima illa „εὗρον ἐγὼ“ quae Ruhnk. praetermisit; pro quibus Blomfieldius ad Sophronis Mimorum fragmenta in Classic. Journ. VIII, p. 385. legit οὐχ εὗρον ἐγὼ cfr. Barker in Annott. ad Etym. Magn. p. 796. ed. Sturz. Quum autem antea praecedat, 27 — 28. de voce βρύττοντες· εἰς δὲ τὸ ῥητορικὸν λεξικὸν εὗρον σημαίνειν τὴν λέξιν, ἀντὶ τοῦ ὀρύττοντες“ verisimile est, Etymologum nihil aliud dicere voluisse, nisi se legisse illud in Diogeniani lexico. Similiter p. 454, 28. οὕτως εὗρον ἐγώ, de quibus confer Kulenk. in Specim. Emendatt. et Obsvv. in Etym. M. p. XXIII. Etym. Gud. Ed. Sturz. — His addam locos alios, p. 162, 42. Agitur de voce ταλαίπωρος. Ταλαίπωρος· ἐπίπονος, ἄθλιος. „Εἴρηται δὲ, ὡς Διογενιανὸς, (Sylburg. in nott. p. 8. subaudiendum φησὶ vel tale quid censet,) παρὰ τὸ τάλας καὶ τὴν ὥραν, ταλάωρος, καὶ ταλαίπωρος· κυρίως δὲ λέγεται ὁ περὶ τὸν πῶρον τλῶν τουτέστι καρτερῶν· οἷον ταλάπωρος· καὶ πλεονασμῷ τοῦ ι ταλαίπωρος. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι τοὺς νεφρικοὺς (scr. νεφριτικούς. Anon. in Annott. ad Etym. M. p. 769.) ταλαιπώρους ὠνόμαζον τοὺς τλῶντας περὶ τὸν πῶρον· ἢ παρὰ τὸ πώρα, ὁ δηλοῖ τὸ πάθος.“ In Hesychio s. v. ταλαίπωρος· ἐπίπονος· τλη-

τικός. Quae quum lego et cogito mecum, iam iterum in eandem suspicionem incido, quam supra dubitanter protuli, rei difficultatem movisse Virum celeberrimum, ut intactam eam relinqueret et abiiceret. Videamus tamen, quid nostri valeant humeri, imprimis novis emolumentis adiuti. Ac primo loco ad lexicon Gudianum vertimus oculos, cuius notitiam Kulenkampio debemus, editionem Sturzio, de quo frustra Ruhnkenius in Epist. ad Heynium data, p. 672. ed. Friedem. „Quodsi in cod. Guelpherb. thesaurum reperisse putat, fallitur, qui nihil reperit, nisi carbones" cfr. p. 675. p. 709. seqq. Ita iudicabat Vir praestantissimus, quoniam additamenta requirebat; nos autem nunc non propter additamenta, sed propter ea, quae dempta sunt, librum magni facimus. Etymologicum enim Gudianum Diogeniani mentionem abiecit, et simul cum ea „ταλαίπωρος, ἐπίπονος, ἄθλιος· εἴρηται δὲ παρὰ τὸ τάλας καὶ τὴν ὥραν, ταλάωρος καὶ ταλαίπωρος" et in fine „ἢ παρὰ τὸ πῶρα, ὃ δηλοῖ τὸ πάθος." Quis igitur est, qui non mecum ea omnia Diogeniano deberi, reliqua aliunde hausta esse suspicetur. Etymologus quae in Diogeniano repererat, addidit illis, quae in antiquiore etymologico, cui sua adiungebat, legebantur; Diogeniani verbis antiqua interpolavit. His expositis, aggrediamur Hesychium; apud quem sub voce ταλαίπωρος reperimus „ἐπίπονος, τληπικός·" quorum primum utrique commune est, alterum notione non differt. Sed nihil de illa etymologia, quae e Diogeniani libris producitur. Memores tamen eius legis, (cf. cap. III.) composita vocabula interdum explicata esse, ubi de simplicibus sermo est, evolvimus vocem ὥρα, ibique legimus, quae sequuntur. „Ὥρα, καιρὸς, κάλλος, τροπὴ, εὐμορφία. ψιλῶς δὲ φροντὶς, ἐπιμέλεια, ὅθεν Ὀλίγωρον λέγομεν τὸν ὀλίγην ἔχοντα φροντίδα" quibus in verbis quanquam nihil de voce ταλάωρος dictum est, tamen docemur, quomodo Diogenianus rem cogitare potuerit. Est vero etiam apertius testimonium. Occurrunt enim II, 1342. „ταλαόρεα τοξεύματα" ubi verba, quibus vocem interpretatus est, omissa sunt, et

Is. Vossius litterarum seriem secutus recte ταλαιώρεα correxit. Praeterea eam interpretationem sub voce πῶρος dictam fuisse, suspicamur, quia ibi „πῶρος· ὁ ταλαίπωρος scriptum est, II, p. 1092. Eodemque trahendum ibidem „πωρεῖν, κηδεύειν, πενθεῖν. Πωρητὺς ταλαιπωρία, πένθος et similia. Quod in fine additum est, de voce πώρα, ad Diogenianum referre non cogimur. Neque audeo cum Hemsterhusio ad Plut. v. 33. sumere, vocem πῶννα, λύπη huc trahendum esse: quanquam Albertus assensus est. Longe praefero Sopingii et Pauwii rationem praef. ad Phryn. p. 40. His igitur disputatis, rem non satis accurate in nostro Hesychio superesse, sed locum, ubi dictum fuit, iudicari posse apparet.

In his autem nondum licet acquiescere. Supersunt enim in Etymologico Magno loci haud pauci, in quibus nomen Diogeniani aut propter notas tachygraphicas, quibus in nominibus in ανος exeuntibus librarii utuntur, corruptum et nobis restituendum est, aut alia eiusdem nominis forma regnat. Iam primum s. v. ἄνεται p. 104, 39. haec leguntur „Ἤδη νὺξ ἄνεται· τελειοῦται· ἐκ τοῦ ἄνω τοῦ σημαίνοντος τὸ πράττω καὶ τελειῶ. διογενία προσέρχεται" quae tota glossa a lexico Gudiano abest. Iam Frid. Sylburgius locum tentavit, legendumque existimavit vel Διογενιανὸς vel Διογένης, in nott. ad Etym. M. p. 5.; nostraque aetate Bastius, palaeographiae peritia sua ductus priorem coniecturam praetulit ad Greg. Corinth. p. 242. Ait igitur grammaticus „Διογενιανὸς προσέρχεται," i. e. accedit. In Hesychio autem reperimus „ἄνεται· ἀνύεται καὶ ἀναλοῦται" ubi Bernardus coniecit „καὶ τελειοῦται, comparato Didymi Scholio ad Iliad. *K.* 251. Eam coniecturam licet cum Alberto improbemus, tamen nulla molestia premimur, quia ἀνύεται per se sufficit, aliaeque glossae eadem ratione explicantur, ἄνη, ἄνυσις καὶ πρᾶξις, I, p. 373, Ἀνοῖτο· ἀνύοιτο, τελειοῖτο et aliae.

Quae quum ita sint, omnibus in locis, in quibus Diogenes memoratur, aut vitium subesse et nostri Diogeniani

nomen restituendum videtur, aut certe noster lexicographus alio nomine vocatus est. p. 55, 36—38. „ἀλάβαστρον καὶ ἀλάβαστρος. λήκυθος λιθίνη πρὸς μύρων ἀπόθεσιν· λαμβάνει δὲ τὸ ρ, ἀλάβαστος οὖσα. οὕτως εἰς τὸ Διογένους." quod enim additur ἐγκώμιον cum sequentibus coniungendum est. Ap. Hesych. „ἀλάβαστος· λήκυθος. Ἀλάβαστρον· μυροθήκη· λίθος ψήφινος" in quibus verbis non magna similitudo cernitur, propterea nisi fallor obscurata, quod quae post λήκυθος sequebantur exciderunt. Nam adest aptissimorum exemplorum copia haud exigua, p. 244, 22. s. v. γυλιός· Διογένης ἀγγεῖον ὁδοιπορικὸν εἰς ἀπόθεσιν τῶν ἀναγκαίων, ᾧ ἐχρῶντο οἱ στρατιῶται" ap. Hesych. I, p. 865. „Γύλλιον· ὁ Ἡρακλῆς καὶ ἀγγεῖον" cett. ad verbum eadem reperiuntur. — p. 267, 10. „Διογένης· (ἡ διαδικασία) ἡ ἐπίκρισις τοῦ ἐπιτηδείου πρὸς λειτουργίαν, καὶ τἄλλα" ap. Hesych. eadem verba II. p. 941., sed pro τἄλλα, πρὸς τἄλλα.—p. 272, 34. „Δίδυμοι· δύο. Διογένης." Hes. I. p. 979. „δηλοῖ δὲ καὶ δύο" — p. 255, 8. „δελφακοῦσθαι· τελειοῦσθαι τὰς σῦς. Διογένης. Hesych. I, 912. δ. τελειοῦσθαι τὰς ὗς" — p. 248, 24. „δανειστὴν δὲ Διογένης καὶ τὸν δεδανεισμένον." Hes. I. p. 886. „δανειστήν· καὶ τὸν δανεισάμενον" ubi confer Kusterum — p. 248, 1. s. v. δάνειον „Διογένης μερίδος ἰσχὺν, γέρας" Hesych. l. l. Δανός· ἀληθὲς ἢ δῶρον ἢ μερίδα ἢ ἰσχύν. γέρας ἢ δάνειον, et p. 885. δάνας· μερίδας Καρύστιοι" cfr. intptt. — p. 219, 39. „Γαζοφυλάκιον· θησαυροφυλάκιον· γάζα γὰρ θησαυρός· εἰς τὸ ῥητορικόν· καὶ πλοῦτος· καὶ ταμιεῖα γάζας. Διογένης." Ap. Hesych. I, 789. „Γάζαν· πλοῦτον" „Γαζοφυλάκιον· θησαυροφυλάκιον" cett. — p. 214, 18. „καὶ βρομήσει, φυσήσει· Διογένης, ap. Hesych. I. p. 769. eadem, addita voce ψοφήσει" — p. 195, 55. s. v. βεῦδος· ἔστι πόλις· καὶ γυναικὸς ἱμάτιον πολυτελές· παρὰ Ἑρμιονεῦσι δὲ καὶ ἄγαλμα" Hesych. I. p. 722. „βεῦδος στέμμα τι καὶ ἱμάτιον γυναικεῖον καὶ πόλις καὶ ἄγαλμα" — pag. 111, 55. s. v. Ἀντία „ἀνταία καὶ ἡ Ἑκάτη ἐπιθετικῶς· Διογένης ἱκέσιος" ap. Hesych. I, p. 391. „Ἀνταία· ἐναν-

τία· ἐκέσιος — καὶ τὴν Ἑκάτην δὲ Ἀνταίαν λέγουσιν, ἀπὸ τοῦ ἀποπέμπειν αὐτά" — p. 112, 27. „ἀντήρεις, ἀντιθέτους, ἀντερέσσοντας· Διογένης „Hes. Ἀντήρεις, ἀντιθέτους — ἀπὸ τῶν ἐρεσσόντων" cett. — p. 122, 29. Ἄπιος, ἔξω τοῦ δένδρου καὶ τοῦ καρποῦ βοτάνη τις καλουμένη. Διογένης" Hesych. I. p. 452. „Ἄπιος, ἡ ὄχνη καλουμένη βοτάνη" vide intptt. — p. 123, 12. „καὶ ἄπλητος, ὁ ἀπρόσιτος. Διογ." Hesych. I. p. 453. „ἄπλητος, ἀπρόσιτος, ἀχώριστον, μέγα" — p. 134, 1. „Ἀπώμοτον· ὃ ἄν τις ἀπομόσειε γεγονέναι ἢ μὴ γενέσθαι· ἔνιοι ἀνέλπιστον· Διογ." Hesych. p. 507. „Ἀπ. φευκτέον· ἢ ὅπερ ἄν τις ἀπομόσειεν" — p. 95, 42. „Ἀναβαλλίδες· ταινίαι· οἱ δὲ σφαίρας ἀποδίδοσαν· Διογ." Hesych. I. p. 314. „Ἀναβαλλίδα· τὴν ὑάκινθον· ταινία ἢ σφαῖρα." — p. 99, 13. s. v. „ἀναῤῥοιβδεῖ. — ἀντὶ τοῦ ἀναῤῥοφεῖ — ἀνακίνει Διογ." Hesych. I. p. 339. „ἀναροιβδεῖ· ἀναῤῥοφεῖ — Ὅμηρος δὲ ἀναπίνει" cett. cfr. intptt. —

At ne quid dissimulare velle videamur, reliquos addimus locos, in quibus nostri lexici mentio iniicitur; quanquam non tam stricte reperiuntur, quae dicta sunt. p. 195, 45. „Βέστον· τὸ ἱμάτιον ὑπὸ Λακώνων· οἱ δὲ βέττον· Διογένης." Hesych. I. p. 721. „βέσον ἔθος καὶ ὁ τῶν ἐθῶν ἔμπειρος· Λάκωνες δὲ Βεστικὸν τὰ ἔσοντ." quae corrupta esse interpretes senserunt. Meursius, vir doctissimus, nostrum Etymologicum comparavit, et coniecit aptissime, ut apparet „Λάκωνες δὲ βέστον τὴν ἐσθῆτα." — p. 252, 33. „Δαιτυμόνες, εὐωχηταὶ καὶ εὐωχούμενοι· δαιτυμὼν ὁ τὴν θοίνην παρέχων καὶ μάγειρος· εἰς τὸ Διογένους." Hesych. I, 878. „δαιτυμόνες· σύνδειπνοι, ἀριστηταί· εὐωχούμενοι ἢ μάγειροι." Quaeritur autem, utrum Etymologus omnia quae exscripsimus ex Diogeniano esse excerpta, an ultima tantum dicere voluerit. Posterius si sumimus, omnia quadrant; minus apte, si prius valet. — cfr. Wolf. Prolegg. ad Hom. p. LXXXII. — p. 286, 33. s. v. δράξων „εἰς τὸ Διογένους εὗρον ἐγὼ δράξων σημαίνειν πορνοβοσκόν." De voce δράξων agit Hesych. I, 1031. sed nihil apparet de hac notione. Lobeckius Aglaoph.

II, 1031 seqq. non solum totum Etymologi locum explicavit sagacissime, sed addidit etiam, quae hanc difficultatem vincere videntur. Ait enim „Hoc fortasse pertinet ad illum Selinusium lenonem, qui dives factus τελευτῶν τὰ ὄντα προὔθηκεν εἰς ἁρπαγήν. Unde natum proverbium Ἁρπαγὰ τὰ Κιννάρου Zenob. I, 31. Iam si Hesychium conferimus, apud ipsum s. v. Ἁρπαγὰ τὰ Κιννάρου eadem invenimus." — p. 296, 42. s. v. εἰδῇς disputatur de formis coniunctivi εἰδῶ, cuius disputationis nullum ostendi potest in Hesychiano lexico vestigium, quo de postea pluribus agere cogimur. — p. 143, 4. s. v. Ἀρίστυλλος „ὄνομα παρὰ Ἀριστοφάνει — Διογένης ἀντὶ τοῦ ἄριστος" Hesych. I, p. 535. nonnisi „Ἀρίστυλλος· ὄνομα." — p. 101, 1. „Ἄναυρος, ὁ ἐξ ὑετῶν συνιστάμενος ποταμὸς παρὰ τὸ μὴ ἔχειν αὔρας· οἱ χειμαῤῥοὶ, διώρυχες καὶ ὀχετοί. Διογ." Hesych I, p. 346. „ὄνομα ποταμοῦ deinde ἀναύροις· δίχα ἀνέμου" nihil praeterea. — 108, 24. „ἀνήνορα, ἄνουν, ἀδύνατον, δειλὸν, ἄτεκνον, οὐ γεννῶντα Διογένης." Hesych. I, 376. „ἀνήνορα· ἀδύνατον· ἄνανδρον" — p. 110, 32. „ἀνίσχαλον· ἄτοκον, ἢ ἀνήμελκτον· ἢ ἀθήλαστον. Διογ." Totum vocabulum suo loco non invenitur in Hesychio, sed reperiuntur rei vestigia, II. p. 80. „ἰσχαλεῦσαι, θηλάσαι" imprimis autem, II. p. 1328. „σχαλίσαι, θηλάσαι καὶ ἀνίσχαδον τὸ ἄτοκον καὶ ἀθήλαστον" ubi confer Interpretes; qui loco litterae λ recte ibi δ reponunt.

Praeterea Diogenis nomen vel Diogeniani in Etymologico Magno nuspiam legitur, quantum equidem scio; multum tamen abest, ut in Etymologico nihil praeterea esse censeam ex eius lexico haustum, quibus auctoris nomen non appositum est, ut sciam potius, plurima ibi scripta ad hunc auctorem referri debere. Ita quoniam de voce ἀνίσχαλον commodum locutus sum, afferam quod Schneiderus in Lexico suo, ubi de illa voce agit, de ἀνίψαλον notavit. „Derselbe hat ἀνίψαλος — und erklärt es ἀβλαβής, setzt aber hinzu" οἱ δὲ ἡλικίαν τάξιν, woraus erhellet, dass Hesychius dieselbe Stelle vor Augen hatte, wo er sagt: ἀνίψα-

νον, οὐ βεβλαμμένην, οἱ δὲ ἡλικίας τάξιν." Quis enim non suspicatur mecum, haec ex Diogeniano hausisse Etymologum. Sed ut hoc exemplum non satisfaciat omnibus, non dubitamus tamen in hac sententia permanere, quoniam, quod maximi est momenti, in quattuor tantum primis litteris, paucis exceptis, Diogeniani nomen reperitur; in reliquis omissum est. Addo, in lexico Gudiano Diogeniani nomen nullibi apparere, ut ea omnia a seriore manu interpolata esse perspicuum sit.

His expositis, qui uno quae enucleavimus oculorum obtutu contemplatur, vocabula quidem ab Hesychio ex Diogeniano esse recepta, interpretationes autem non raro omissas, mecum censebit. Quae de verborum formis et originibus tradita sunt, videntur abesse. Omnia autem, quae hucusdum in Hesychio evolvimus, si ad Diogenianum referuntur auctorem, vitiis scripturae remotis, accuratissime servant litterarum ordinem.

Sed nimis diu apud Etymologum, quem uno verbo Ruhnkenius absolverat, morari coacti fuimus: iam ad alios, qui Diogeniani libros noverunt, accedamus necesse est. Ruhnkenius enim his exemplis praeterea. Cyrill. Lexico Ms. „ὡς ἄημα, ὡς πνεῦμα, ὡς ἄνεμον· ἄημα γὰρ τὸ πνέον, παρὰ Διογενιανῷ." Hesych. I, 121. „ἄημα πνεῦμα, φύσημα." In his acquievit Ruhnkenius, quanquam non erant satis apta. Paullo aliter in libelli fine, a Bachmanno editi, Λέξεις ἐγκειμέναι τοῖς κανόσι κατὰ στοιχεῖον τῆς χριστοῦ γεννήσεως, τῶν φώτων καὶ τῆς πεντηκοστῆς. Ὡς ἅμα: ὡς πνεῦμα. ἅμα γὰρ τὸ πνεῦμα παρὰ Διογενιανῷ ubi ἅμα corrupte, vere πνεῦμα dictum est. cfr. p. 459, 14 sq. Schol. ad Callim. H. in Dian. 190. „ἡ Ἄρτεμις ἐν Κρήτῃ Βριτομάρτις τιμᾶται, ὡς Διογενιανός." Hesych. „Βριτόμαρτις· ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις." Ruhnk. Ep. Crit. II. p. 135. ed. nov. — Schol. Nicandri ad Theriac. p. 15. „Διογενιανὸς δὲ χλοάειν· καλῶς αὔξεσθαι καὶ βλαστάνειν." Hesych. „Χλοάσουσιν· βλαστήσουσιν." — Eustath. ad Od. Ε. p. 1533. „Διογενιανὸς Οἴακας λέγει, οἷς τὰ πηδάλια ἐπιστρέφου-

σιν, ἤγουν κανόνας καὶ κρίκους, δι' ὧν ἱμάντες διείρονται." Hesych. „Οἴακες· πηδάλια, ἤτοι αὐχένια καὶ οἱ ταῦτα ἐπιστρέφοντες κανόνες κρίκοι, δι' ὧν οἱ ἱμάντες διείρονται." Id. ad Il. p. 796. ed. Bas. „κεῖται ἐν ἐπιλογῇ λέξεων ἀρχαίᾳ, ὅτι ἃ δασυνθὲν γέλωτα δηλοῖ." Id quum Photius ut vidimus ex Diogeniano afferat idemque in Hesychio exstet, num Diogenianum ita iudicare voluisse Eustathium, sumere licet? Basil. sch. Ms. in Gregor. Nazianz. „Ἔτνος· εἶδος ὀσπρίου· οἱ μὲν, κύαμον· οἱ δὲ τὸ καλούμενον πισσάριον· οἱ δὲ ἕψημα ἀθηρῶδες. τοῦτο γὰρ δασυνόμενον σημαίνει· ἀφ' οὗ καὶ ἀθήρα καὶ ἀθάρα. ἔνθεν καὶ ἐτνήρυσις παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει. Ἔτνος σὺν φησὶ τὸ ἐρειχθὲν καὶ συγκοπὸν καὶ ἑψηθὲν ὄσπριον, ἀπὸ τοῦ ἐρείκω, τὸ σχίζω. οὕτω καὶ Διογενιανός." Hesych. „Ἔτνος, ἐρεγμὸς, ἕψημα ἀθηρῶδες καὶ εἶδος ὀσπρίου." Ruhnken. ad Tim. Lex. Platon. p. 91. — In Suidae et Harpocrationis lexicis Diogeniani mentio semel iniicitur sub eadem voce: Ἀειεστώ „Ἀειεστώ· Ἀντιφῶν τὴν ἀϊδιότητα, καὶ τὸ ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἀεὶ ἑστάναι, ὥςπερ καὶ Εὐεστὼ ἡ εὐδαιμονία καλεῖται. ἡ λέξις παρὰ τῷ Διογενιανῷ, ἐν Ἀληθείας δευτέρῳ." Addidit in fine „Ἀντιφῶντος" Maussacus (ad Harpocr. II. p. 74 seq. ed. Lips.) ex coniectura, quum neque in Suidae neque in Harpocrationis codicibus reperiatur; cavere enim voluit, ne quis cum Dan. Heinsio libri de veritate auctorem Diogenianum esse crederet; propterea a Gronovio vehementer reprehensus, I. p. 212. ed. Lips. Is ait „quin etiam fortassis haec tria vocabula sunt transferenda, ut interserantur inter primam vocem et secundam." Sed magna est in codibus scripturae diversitas. Eodem Gronovio teste, in Mediceo codice haec leguntur „ἀεὶ αἰεί ἐστιν· αἰεί φησι τὴν ἀϊδιότητα καὶ τὸ ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἀεὶ ἑστάναι, ὥςπερ καὶ τὸ εὖ εὖ ἡ εὐδαιμονία καλεῖται" quae eadem in Vratislaviensi apparent, cf. XLIV. ed. Lips. In Cod. Ms. Regio, auctore Kiddio l. l. p. 203. „αἰείστω, pro Εὐεστῶ εὖ εὖ et καλεῖται glossam claudit, cfr. Toup. ad Harpocrat. Emend. IV. p. 402. Quodsi litterarum ordinem sequimur, quem

Maussacus, transpositis vocibus ἀειλογία et ἀειεστώ, mutavit, proximam veritati putare possumus, regii codicis scripturam αἰείστω, dummodo scribimus ἀείστω. Sed Suidas refragatur, et Hesychius, neque in Harpocratione tam diligenter litterarum series servatur, ut certi quid inde colligere queas. Quare εὐεστώ et ἀειεστώ pro veris formis habendae sunt, quarum prior ab Democrito inventa dicitur et ab Aeschylo usurpata est, posterior autem apud unum Antiphontem reperitur. Sed Diogeniani mentio, ut codicum comparatio docet, a posteriore manu interpolata est, et fortasse ad ultima tantum verba pertinet, ad vocem εὐεστώ. In Hesychio s. v. ἀειεστόν· τὴν αἰώνιον οὐσίαν, ἢ ἀϊδιότητα. s. v. εὐεστώ „εὐθυνία ἀπὸ τοῦ ε ὖ ε ἶ ν α ι. καὶ εὐδαιμονία ἀπὸ τοῦ ε ὖ ἑ σ τ ά ν α ι τὸν οἶκον· ἢ ἀπὸ τοῦ δαψιλεῖν τὰ πρὸς τὸ ἐσθίειν εὐετηρία." Sequitur vox „Εὐετηρία· εὐθυνία· καλὸς ἐνιαυτός· ἢ καλῶς διακεῖσθαι· καλοκαιρία." De quibus priusquam loquamur, addenda est Ruhnkenii haec narratio „Unus, ne quid dissimulem, ex Diogeniano locus affertur, quem frustra quaeras in Hesychio. Glossae Herodoti: Εὐεστώ· εὐημερία εὐετηρία· ἡ καλλίστη τῶν ἐτῶν διαγωγή. Διογενιανὸς ἄνευ τοῦ σ γράφει Habet quidem vocem Hesychius, sed cum σ scriptam." Ac re vera exstat ea glossa ap. Schweighaeus. l. l. p. 343. ex Herod. I, 85., sed ibi quoque est, cod. ms. optimae notae, S. Germ. qui glossam non habet, ut iterum suspicer, Diogeniani mentionem seriori grammatico deberi, qua de re alibi accuratius disseram. Accedit quod Greg. Corinthius, qui codicem Germanensem secutus est, nihil de εὐεστώ protulit. Legitur autem iterum apud Bachmannum Anecdd. II. p. 361, 20. „Εὐεστρία· εὐετηρία, ἡ καλλίστη τῶν ἐτῶν διαγωγή. Διογενιανὸς ἄνευ τοῦ σ γράφει." In Herodoti codicibus, cfr. Schweigh. Var. Lectt. in Herod. Tom. I. p. 2. p. 70., εὐεστοῖ, εὐθηνία et sine σ εὐετοῖ reperitur. His cognitis, certum iudicium ferre possumus. Hesychio enim aperte omissum est aliquid. Duo vocabula inter se diversa discerni debent, quorum alterum εὐεστώ respondet voci ἀειεστώ, significat

εὐδαιμονίαν et deducendum est a voce εὖ ἑστάναι· alterum εὐεστὼ deducitur a vocc. εὖ εἶναι, spiritu leni pronuntiandum est, et cum vocc. κακεστώ et ἀπεστώ, quae apud Hesychium reperiuntur, cohaeret. Prius igitur vocabulum semper σ retinet, neque Diogenianus aliter scripserat, quod ex Harpocratione et Suida perspicitur; posterius autem, cum vôce εὐετηρία comparatum, cuius notione quoque gaudet, videri poterat, ut ἔτος ortum esse a voce ἔω ὑπάρχω; cfr. Etym. Gud. p. 215, 55. et εὐετὼ scribendum esse. Eam autem fuisse quorundam opinionem, ex Herodoti codice Med. qui εὐετοῖ praebet, discimus; et Diogenianum ita sensisse, ex Glossis Herodoteis intelligimus. Tale quid igitur ab Hesychio omissum est. Itaque factum est, quod saepe iam vidimus; non glossa, sed glossae interpretatio et diversa scriptura deest.

At nondum huic argumento modum statuere possum. Alios enim locos, in quibus Diogenianus memoratur, Bastius ad Gregor. Corinth. p. 241. seq. indigitavit. Scholia Mss. Cod. Moden. in Clement. Alexandr. προτρ. p. 26. „Σχιζίας, λεπτὸς παρ' Ἀττικοῖς οὕτω Διογενι . . . . .“ Manus secunda adscripsit Διογενὴς; Bastius praefert Διογενιανός. Ea vocis interpretatio non est in Hesychio, fortasse librariorum errore, quum sese excipiant „σχίζα ἡ λαμπὰς, σχίζης, σχίζαις; σχίδαζε τὰ ξύλα, σχίδαξ τῶν ξύλων· σχιζογυάνδρους τοὺς συκοφάντας, quam ultimam vocem miram vocat Albertus et in memoriam revocare illud σχιζίας. His comparanda sunt II, p. 80. „ἰσχναῖς, λεπταῖς ξηραῖς et quae sequuntur; et quae Photius habet, I, p. 117, 7. Runkel ad Cratin. p. 98. Schow. Addit. ad Hesych. Albert. p. 721. Meliorem successum in sequentibus habemus. Ibid. ad p. 15. „Κῶνοι οἱ στρόβιλοι καὶ οἱ θύρσοι, ὡς Διογενιανὸς, ῥόμβος, δῖνος.“ et „Κῶνος· ξυλάριον οὗ ἐξῆπται τὸ σπαρτίον καὶ ἐν ταῖς τελεταῖς ἐδονεῖτο, ἵνα ῥοιζῇ, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ῥύμβος ἐκαλεῖτο.“ Omnia in Hesychio diversis locis leguntur, II, p. 400. „Κῶνοι· οἱ θύρσοι καὶ στρόβυλοι καὶ οἱ στρόμβοι“; II, p.

1101. Ῥόμβος· Ψόφος, στρόφος· ἦχος· δῖνος· κῶνος ξυλήριον· οὗ ἐξῆπται σχοινίον· καὶ ἐν ταῖς τελεταῖς δινεῖται." Deinde sequuntur: Ῥομελίας, μετέωρος περιτομῆς ἀναρροίζη" cett. quae verba, ut bene viderunt interpretes seiungenda sunt. Ῥομελίας — περιτομῆς ad sacram glossam pertinent. Denique II, 1126. „ῥύμβος, δῖνος." Adverte animum, lector, quam multa loca sine ulla difficultate corrigi possint, antea difficillimis adnumerata. — Schol. Ms. codicis 1983. ad Hermogenem περὶ σεμνότητος: Σεσηρέναι, κεχηνέναι· δηλοῖ δὲ καὶ τὸ γελᾷν, ὥς φησι Διογενιανός" Hesych. II, 1171. „σέσηρε· γελᾷ δολίως· ψύχει τοὺς ὀδόντας" σεσηρέναι· γελᾷν προςποιητῶς et quae sequuntur. — In Etymol. Paris. Ms. „ὕδειν παρὰ τὸ ὑάδειν· κατὰ συγκοπὴν τοῦ ᾱ ὕδειν, ὥς φησι Διογενιανός." Deinde „ὕδειν σημαίνει τὸ ὑμνεῖν" cett. Hesych. II, 1443. „Ὕδειν· ὑμνεῖν, ᾄδειν, λέγειν." Denique Bastius in scholio partim inedito codicis Paris. 1983. ad Hermog. περὶ ἰδεῶν affert aliquid de voce ὑπόξυλος, cuius nullum est apud Hesychium vestigium. At quaeri potest, utrum ad nostrum librum, an ad alium pertinuerit, quo separatim Aeschyli glossae tractabantur. Dictum enim est „Αἴσχυλος ἐν Πέρσαις μέμνηται, καὶ Διογενιανὸς ἐν τῇ λέξει τούτου" cfr. Bekk. Anecdd. III, p. 1073.

Postremum locum inter eos, quibus Diogeniani fragmenta debemus, servavi Choerobosco; qui ap. Bekk. in Anecdd. indice non raro producitur. p. 1395. „Λοιμία· ὄνομα κύριον· γέγονε δὲ ἡ γυνὴ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως· ἔστι δὲ καὶ προςηγορικὸν τὰ χάσματα· οὕτω Διογενιανός." Ge. Choerob. cod. Bar. Sub voce Λοιμία nihil habet Hesychius, neque potuit habere, quum pro Λοιμία Bekkerus Λαμία scribere debuisset. Nam Diog. Laert. in Demetr., V, 76. de Demetrio „συνῴκει," ait, „Λαμίᾳ τῇ ἐρωμένῃ" cfr. Menag. et Casaub. ad h. l. Hesych. „Λαμία· θηρίον καὶ γυνή τις ἀρχαία, οὕτω καλουμένη Λίβυσσα" Λάμβαι· τὰ χάσματα ἢ οἱ μόνοι τῶν ἀνθρώπων καὶ ἰχθῦς" ubi Salmasius, et Guyetus Λάμναι, Pergerus

Λάμμαι, sive *Γλάμμαι*; Is. denique Vossius *Λαμίαι*" Recte. Sed universe vidisse me confiteor, Is. Vossii in Hesychium coniecturas semper maximi aestimandas, neque satis accurate semper ab Alberto esse perpensas. Ceterum prior glossae pars ex Cyrilli lexico descripta mittenda est; posterior nobis retinenda; quia probabile est, Choeroboscum propter *τὰ χάσματα*, non propter Demetrii uxorem Diogeniani meminisse. Quanquam in iis, quae Bekkerus edidit, Choeroboscus Diogeniani nomen nullo loco praeter eum, de quo locuti sumus, attigit: attulit tamen et explicavit *λέξεις*, quae eodem modo in Hesychio apparent, ut ea quoque ex eius libro hausisse videatur. Anecdd. p. 1318. „*ἀμάρυγξ, ἀμάρυγγος ἐπὶ ἀκτῖνος καὶ λαμπηδόνος καὶ ὄφεως.*" Hesych. „*ἀμαρυγκαί· ἀκτῖνες, λάμπηδόνες, ὄψεις*" sed ex Musuri coniectura: codex enim melius praebet „*ἀμάρυγγες*" postea *ἀκτῆνες*. Male igitur Albertus *ὄψεις* pro *ὄφεις* probatum ivit. — Anecdd. p. 1359. „*δαίτων ὁ ἀριστητής*" ubi haud dubie Bekkero *δαιτυμών* scribendum erat. Hesych. „*δαιτυμόνες· σύνδειπνοι, ἀριστηταί, εὐωχούμενοι*" cett. — Anecdd. p. 1360. s. v. *Δαμὴν* „*Ἀζὴν δὲ λέγεται κατὰ Φρύγας ὁ πώγων*" *Ἀδένες δὲ λέγονται οἱ βουβῶνες.*" Hesychius „*Ἄζενον· πώγωνα· Φρύγες·*" *Ἀδένες· συστροφοὶ σαρκώδεις παρὰ τὴν ῥάχιν καὶ βουβῶνες,*" quorum prior pars, quae huc non pertinet ex Cyrillo illata est. Praeterea memoratu dignissimum est, quod habet Lex. Ms. Coisl. „*Ἀζὴν ὁ πώγων κατὰ Φρύγας λέγεται· ἡ λέξις δὲ Ἡρωδιανοῦ*" ubi non remota est coniectura, ex librariorum errore Herodianum pro Diogeniano nominatum esse. At ne nimis magnam copiam congeram, sententiae meae veritatem demonstrasse ratus, unum tantummodo exemplum addam Anecdd. p. 1389. „*Κῖρις· ἔστι δὲ εἶδος ἱέρακος· λέγεται δὲ καὶ παρὰ Κυπρίοις ὁ Ἄδωνις, παρὰ δὲ Λάκωσιν ὁ λύχνος.*" Foede corrupta haec circumferuntur ap. Hesychium, hinc corrigenda „*Κῖρις· λύχνον ὄρνεον ἢ Ἄδωνις. Λάκωνες*, cfr. Etymolog. s. v. *Κίῤῥις.*"

Haec habui Diogeniani fragmenta, quae cum Hesychii dictis comparata, utrum verum sit, quod Hesychius de Diogeniani lexico a sese recepto dixerat, necne docent. Quanquam autem si quis meam fragmentorum copiam cum Ruhnkeniana comparaverit, nunc longe plura collecta esse videbit: tamen me collegisse omnia, ipsum me vix sperare sinit librorum meorum inopia. Neque produxi fortasse ea omnia, quae mihi licebat ex mea supellectile conquirere. Quomodocunque id est, iam poterit iudicium de re, quam agitamus, ferri.

Lexicon Hesychianum magnam partem Diogenianearum glossarum continere, nemo non intelliget. Itaque quaerendum nobis est, quo modo factum sit, ut non omnes glossae reperiantur, quod si epistolae scriptor vera dixit, exspectandum erat. Cuius rei causae diversae facile perspiciuntur; quas priusquam perpendamus, quaestio utrum qui Diogenianum nominant, fide digni homines fuerint an indigni, eorumque verba a librariis corrupta, an integra ad nos venerint, non est obliviscenda. Nam dici non potest, quoties in nominibus citandis apud veteres peccata commissa sint. Ruhnkenius demonstravit, *Ἀρίσταρχος* et *Ἀρχίλοχος*, *Ἡσίοδος* et *Ἡλιόδωρος*, *Ἡρόδοτος* et *Ἡρωδιανός*, *Πεισίστρατος* et *Καλλίστρατος*, *Ἵππαρχος* et *Τίμαρχος* confundi. cfr. praef. ad Hesych. II, p. 6. seqq. (p. 190. seqq. ed. Friedem.) Add. Valck. ad Phoen. p. 744. Nonne igitur facillime Diogeniani, Diodori, Dionysii nomina permutari, immo pro Diogeniano Herodianus, pro Herodiano Diogenianus appellari potuit? ut apud Athen. XI, 501. Diodorum et Herodotum confusos esse dicunt. Exemplo allato sententiam meam declarabo. *Ἑρμαῖα*, Syracusium esse certaminis genus, ap. Plat. schol. ex Diogeniano citatur; in Hesychio frustra quaeritur. Idem scholiasta novit lexicon Atticum Dionysii, cfr. p. 460. Bekk. coll. Etym. M. s. v. *ἀλιτήριος*, qui Photio teste inprimis multa de festis Atticis disputavit. „*ὅσαι τε γὰρ ἐπιχωριάζουσι*," ait, „*λέξεις τοῖς Ἀθηναίοις περί τε τὰς ἑορτὰς καὶ τὰς δίκας, ἐντεῦθεν ἐστὶν ἐκμαθεῖν.*" Iam quum apud Athenienses Mercurius maxime coleretur,

quidni Dionysius potuit, occasione data, Siculi quoque certaminis „Ἑρμαῖα“ dicti mentionem iniicere? An aliud nomen est reponendum, ut Elpidiani, cuius librum περὶ ἑορτῶν Ioannes Lydus IV, p. 59. laudavit? His similia igitur, non raro facta, iis quoque acciderunt fortasse, quos antea testes produxi. Accedit autem nominum Diogenis et Diogeniani commutatio. Nam ut ostendimus antea, in Etymologico Magno, modo de Diogene, modo de Diogeniano dicitur; ita apud Suidam s. v. Διογένης legimus „Διογένης ἢ Διογενειανὸς Κυζικηνὸς γραμματικός“ et ap. Tzetzam, qui reliquis omnibus Διογένης Λαέρτιος audit, Διογενιανός appellatur, cfr. Menag. ad Diog. Laert. I, 1. Erat praeterea, quum coniicerem, Suidam ibi quoque, ubi de nostro loquitur, scripsisse „Διογένης ἢ Διογενειανός.“ Nam quum Suidas, ut cognitum est, accurate litterarum seriem sequatur: non potuit ita voces in ordinem digerere „Διογένης· εὐγενέστατος. Διογενειανός, Διογένης. Tamen Bastius coniecturam talem repressit, qui ex codice Parisiensi „Διογενές· εὐγενέστατον“ enotavit. Sed ita quoque non necessaria erit Kiddii mutatio, qui lenissimam, ut ait, medelam admovendo Διογενιανός restituit ad Ruhnkeniana, p. 203. ed. Friedem. Heinsii autem error, qui Hicesium Diogenem ibi ponendum esse censuerat, non solo est ex Etymologico sumptus, sed ex Suida etiam, qui Diogenem, Hicesii filium, novit, cfr. Diog. Laert. VI, 20. Haud immerito igitur, vitia interdum esse in laudando Diogeniani lexico admissa, suspicamur. Haec universe dicta nunc sufficiant; redeundum est ad Hesychium.

Ac primum quidem, quoniam in omnibus Hesychiani lexici partibus Diogenianeas glossas invenimus, quin ille omnia voluerit describere, non dubitandum est. Iniustissimum autem foret facinus, si propterea, quod nonnullas voces praetermissas esse vidimus, lexici conditorem mendacii fraudisque accusare vellemus. Quid igitur? num iam Diogeniani causa ad epitomen lexici Hesychiani, ab aliis divinatam, confugere cogimur? Equidem nisi egregie fallor,

tanta est rerum ex Diogeniano in Hesychium translatarum copia, ut nisi qui ineptissimus est, de epitome cogitare nequeat? praesertim quum alia ratio unicuique obvia sit, quae facilius et melius omnia nobis declarat. Unum enim habemus Hesychii codicem, eumque pessime habitum, vitiorumque copia sua conspicuum. Nihil igitur nos impedit, quo minus omissa quoque nonnulla scribae culpa sumamus, ut corrupte scripta plurima esse scimus. Neque tamen propterea vehementer in hunc invehar, quia negotium lexicon tale describendi haud dubie omnium difficillimum est, et paene necessario in vitia librarium coniicit. Quam facile enim ab una voce ad alteram labi homo potuit? verba cum verbis commutare? res necessarias omittere? Quodsi autem errores eius non severe exagitarim: pluris tamen faciendum existimo, si interdum desidia inertiaque captus non temere sed consulto multa admisit: ut ubi nihil addidit, nisi καὶ τὰ ἑξῆς et similia; quanquam si quis in tam difficili et molesto opere interdum vacillat, id lubenter excusaverim.

Quae quum ita sint, neque Hesychium vanum mendacemque hominem vocare, nec de epitomatore omnia corrumpente et contaminante conqueri licet. Qui enim codicem descripsit, Hesychiique epistolam adiecit, non epitomen facere, sed totum opus servare integrum voluit, et humana tantummodo imbecillitate eo ductus est, ut singula, quae nos servata cupimus, praetermitteret. Ad eandem autem sententiam si omnia, quae in epistola dicta sunt, accurate pensitavimus, semper redibimus.

---

§. 2.

De Diogeniani nomine, aetate et scriptis.

Ut in suscepto opere feliciter progrediamur, prae ceteris virum ipsum, cuius lexicon ab Hesychio editum manibus terimus, cognoscamus oportet. Non sum nescius quidem, hac via incedentem me institutum cursum celeriter persequi non posse et ex digressione in digressionem ferri: sed quis evitare potest viae impedimenta saepe invito sibi oblata? quis quae necessaria sunt ad iter persequendum, negligere? Agedum igitur, videamus, quis fuerit ille Hesychiani lexici conditor, cuius vestigiis lexicographus institit; quando vixerit; et quae doctrinae suae monumenta ediderit, indagemus. Qua in re ducem cupide quaerentes, reperimus praeter Suidam neminem; qui reliquis testibus amissis, fere semper laqueis nos irretitos suis tenet, et difficultatum mole obruit. Quae enim apud Eudociam leguntur, eadem omnia in Suidae libro reperiuntur.

Proponam primum Suidae dicta de Diogeniano, ut in Aldino libro circumferuntur: ita ut ne aperta quidem vitia pro arbitrio meo corrigam: „*Διογενειανός· ἡρακλείας πόντου γραμματικὸς γεγονὼς αὐτὸς ἐπὶ ἀδριανοῦ βασιλέως· ἐπιστητέον δὲ μήποτε ἐστὶν ὁ ἐκ τῆς ἀλβάκης ἡρακλείας τῆς ἐν καρίᾳ ἰατρός· ἢ γὰρ ἦν οὗτος παντοίοις λόγοις· οὐ γὰρ εὗρον ῥητῶς τὸ ἐξ ἡρακλείας αὐτὸν εἶναι ἐν πόντῳ, ἀλλ' οὕτω παρά τισι δεδόξασται· ἔστι δὲ αὐτοῦ βιβλία ταῦτα. λέξεις παντοδαπαὶ κατὰ στοιχεῖον ἐν βιβλίοις ε᾽· ἐπιτομὴ δέ ἐστι τῶν παμφίλου λέξεων, βιβλίων ε καὶ τετρακοσίων. καὶ τῶν ζωπυρίωνος ἐπιγραμμάτων, ἀνθολόγιον περὶ ποταμῶν. λιμνῶν. κρηνῶν, ὀρῶν, ἀκρωρειῶν· περὶ ποταμῶν κατὰ στοιχεῖον, ἐπίτομον ἀναγραφὴν. συνάγωγὴν· καὶ πίνακα τῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ πόλεων. καὶ τὰ λοιπά.*“ In his verbis et levia vitia et ulcera graviora apparent. Itaque sine magno negotio sustulerunt editores peccata, in interpunctione com-

missa. Vocem ἐπιγραμμάτων a nomine Zopyrionis disiunxerunt, et coniunxerunt cum voce ἀνθολόγιον. ἐπίτομον ἀναγραφὴν praecedentibus, συναγωγὴν sequentibus addiderunt. Tam apertae autem videbantur hae mutationes, ut nemo de earum veritate dubitaret. Hinc factum est, ut Diogenianum epigrammatum collectoribus ad unum omnes adnumerarent, (cfr. Iacobs et in Prolegomm. ad Antholog. p. XXXIV. seqq. et in Encyclopaedia Erschii et Gruberi s. v. Anthologie,) et in ordinem scriptorum, qui res geographicas tetigerunt, reciperent, cfr. Vossium de Histor. Gr. l. II. c. XII, p. 221, de Mathesi, cap. LXVIII, §. 11. Ukerti alte Geographie, t. I, p. 224. Sed non eadem omnium consensio fuit in ceteris; neque eadem in emendandis vitiis sagacitas. Nam quum unicuique cognitum sit, scholiastas adverbio μήποτε usos esse, ubi dubitationem quandam et coniecturam suam proponere volunt et iam ab Henrico Stephano notatum in Proparasc. ad Lect. schol. Graecor. in Thucyd. script., quae initio sexti voluminis Thucydidis Bipont. repetita est, p. 20. seq.: tamen ἐπιστητέον illud incommodum — significat enim: *sciendum est* — locum, quem occupaverat, retinuit usque ad recentem aetatem, qua est Bastii diligentia et Schaeferi iudicio coactum, eum voci ἐπιστατέον, i. e. considerandum, videndum est, relinquere; cfr. Greg. Corinth. de diall. p. 241. ed. Schaef. Deinde vario modo tentata sunt: παντοίοις λόγοις. Denique quod περὶ ποταμῶν duobus libris scripsisse dicitur, multos offendit. Sed via a Schotto inita, qui pro ποταμῶν παροιμιῶν scribere volebat, Vossio quidem vera esse videbatur, de philologia cap. VI, §. 2. (Opp. Vol. III. P. III. p. 45. a), displicebat autem Io. Alb. Fabricio, bibl. Gr. lib. IV. cap. IX. Ukertus tamen, l. l. duobus tantummodo libris Diogeniani nominatis, Schotti sententiam denuo secutus est. Ut tamen saepe fieri solet, id quod omnium apertissimum vitium erat, ad hunc usque diem, nactum quidem est, qui animadverteret, et videret, sed non qui sanaret. Etenim postquam Suidas ita inceperat, „ἔστι δὲ αὐτοῦ βιβλία ταῦτα“, ab initio qui-

dem nominativis utitur „λέξεις παντοδαπαί," sed mox abit contra omnem consuetudinem suam et contra leges dicendi ad accusativos „ἀναγραφὴν, συναγωγήν." In his igitur magnum vitium subodoramur.

Inter varia autem vitiorum genera, quae Suidae librum polluunt et omnes, qui eo uti cupiunt, maxime impediunt, frequenter admissum illud est, quo quae de voce aliqua aut de viro illustri dicta sunt, a suo loco distrahuntur et in alienum transferuntur. Ita Aristophanis grammatici vita ex parte erat Aristonymo adiuncta, ut ostendi in Commentat. de Aristoph. Vita p. CVI. Illi autem exemplo, quod primus indigitavi, occasione data nunc duo alia adiiciam. Primum de Hegemone apud Suidam haec reperimus „Ἡγήμων ὁ Θάσιος, ὁ ἐπικληθεὶς φακῆ. Ἡγήμων. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος· εἷς ἦν τῶν μακεδονιζόντων καὶ τῶν ἐπὶ δωροδοκίᾳ διαβεβλημένων· τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Φιλίννα, ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς." Quae qui primum legit, non potest nisi censere, de duobus hominibus sermonem esse, diversa aetate viventibus, quorum prioris cognomen et patriam, posterioris indolem et artem discimus. At tantum abest, ut hoc verum sit, ut plane contraria mox occupet animum sententia. Athenaei enim libros evolventes, l. XV, p. 699. a. ibi non dici de Hegemone, qui Demosthenis aetate vixit, sed de Thasio intelligimus. Is enim quum antea commemoratus esset „καὶ τὸν κατ' αὐτὸν Ἡγήμων ὁ Θάσιος, ὃν ἐκάλουν φακῆν" p. 698, c; pergitur a scriptore l. l. „γέγραφε δὲ καὶ κωμῳδίαν εἰς τὸν ἀρχαῖον τρόπον, ἣν ἐπιγράφουσι φιλίννην." Iam quoniam Suidas ad Athenaeum nos ablegat: vitium non esse scriptoris sed librariorum sequitur. Locus igitur ita restituendus erit: „Ἡγήμων ὁ Θάσιος· ὁ ἐπικληθεὶς φακῆ· τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Φιλίννα, ὡς Ἀθήναιος ἐ. Δ. Ἡγήμων Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ — διαβεβλημένων." Ea autem ratio alia quoque caussa allata confirmatur. Etenim ultima verba petita sunt ex Harpocratione I, p. 83. ed. Lips. Locus est in Demosth. Orat. de Coron. cap. 88. Alte-

rum exemplum, quod nunc proferre decrevi, hoc est gravius, nec tamen minus apertum. De Hippy enim Rhegino Suidas exponit haecce: „Ἵππυς Ῥηγῖνος ἱστορικὸς γεγονὼς ἐπὶ τῶν περσικῶν· καὶ πρῶτος ἔγραψε τὰς σικελικὰς πράξεις — κτίσιν Ἰταλίας, σικελικῶν βιβλία ε΄· χρονικὰ ἐν βιβλίοις ε΄· ἀργολογικῶν γ΄. οὗτος πρῶτος ἔγραψε παρῳδίαν καὶ χωλίαμβον καὶ ἄλλα", quibus obsecutus Vossius de histor. Gr. IV, cap. III, p. 442. „Hic," ait, „praeterquam quod parodiam et choliambum et alia invenit, primus etiam res Siculas tradidit." At cur Suidas non pergit, uti coeperat? cur cum dixisset „καὶ πρῶτος" iam de novo addit „οὗτος πρῶτος", cur, quod summum est, cur parodiarum, choliamborum et talium carminum auctorem praeter Suidam nemo novit? Est igitur in his quoque transpositio facta. Qua in re Fabricius nos ducere potest, qui in biblioth. Gr. lib. II, c. VII, §. II, ita loquitur: „Primam parodiam scriptam ab Hippye Rhegino tradit Suidas. — Sed Polemo apud Athenaeum lib. XV, p. 698. *Hipponacti* hoc tribuit, „εὑρετὴν μὲν οὖν τοῦ γένους Ἱππώνακτα φατέον τὸν Ἰαμβοποιόν." Brevi ante apud Suidam de Hipponacte dicitur; sine negotio huic sua redduntur: Ἱππώναξ· πατρὸς Πύθεω καὶ μητρὸς Πρωτίδος· ἐφέσιος, ἰαμβογράφος. ᾤκησε δὲ κλαζομενὰς ὑπὸ τῶν τυράννων ἀθηναγόρα καὶ κωμᾶ ἐξελαθείς· γράφει δὲ πρὸς βούπαλον καὶ ἄθηνιν ἀγαλματοποιούς· ὅτι αὐτοὶ εἰκόνας πρὸς ὕβριν εἰργάσαντο· οὗτος πρῶτος ἔγραψε παρῳδίαν καὶ χωλίαμβον καὶ ἄλλα", quae omnia optime cohaerent.

Simile autem vitium res de Diogeniano narratas occupasse, accusativi illi luculenter ostendunt; de quo sanando nunc agamus oportet. Posteaquam igitur de Diogeniano locutus est Suidas, litterarum serie ad viros ducitur, Diogenis nomine appellatos; quorum qui ultimum locum tenet, simul est Diogenianus, Suida auctore, a nonnullis vocatus ac iam propterea ab hac disputatione non seiungendus. Ait igitur Suidas: „Διογένης ἢ Διογενειανός· κυζικηνὸς γραμματικός· ἔγραψε πατρία Κυζίκου· περὶ τῶν ἐν τοῖς βι-

βλίοις σημείων· περὶ ποιητικῆς· περὶ στοιχείων." Is homo est nobis aliunde quoque cognitus. Nam etsi scripta philosopha et grammatica illa, de notis criticis, de elementis, de poëtica, nusquam, quantum scio, commemorantur: tamen quia de patria sua scripsit, ut locuples auctor, inter testes et auctores locum suum obtinuit et servavit. Hoc enim nomine saepe citatur in Stephani Byzantii paralipomenis. In Suidae libris, ut vidimus, dictum est: πατρία Κυζίκου, accentu in paenultima syllaba posito; quem errorem alii ita sustulerunt, ut scriberent πάτρια, accentu mutato, Salmasius autem in margine Stephani sui ut „περὶ πατρίας Κυζίκου" reponendum coniiceret. Qua quidem in coniectura et accentu illo et ea ratione, quam Stephanus in libro laudando tenet, confirmatus est. Is enim s. v. Ἀδράστεια, ait, „ἐν πρώτῃ Κυζίκου", ubi Berkelius „περὶ Κυζίκου" scribendum esse suspicatur; s. v. ζέλεια· „ἐν πρώτῃ περὶ Κυζίκου"; denique s. v. Βέσβικος haec habet „Βέσβικος· νησίδιον περὶ Κύζικον, ὡς Διογένης ὁ Κυζικηνὸς ἐν πρώτῃ τῶν ἑπτὰ περὶ τῆς πατρίδος νήσων· λέγων Προκόννησος καὶ Φοίβη" cett., quae verba philologos in varios errores duxerunt. Fuere enim, qui inde libros septem de patriae insulis efficerent, ut Ger. Io. Vossius de Hist. Gr. lib. III, p. 356. Alii bene intelligentes, id falsum esse, verum quidem viderunt, virumque septem de patria sua libros condidisse censuerunt, quorum est Menagius ad Diog. Laërt. VI, 81; sed quomodo Stephani verba intelligenda sint, non docuerunt. Locus, ni fallor, ab omnibus male scriptus est, ita exhibendus: „ὡς Διογένης ὁ Κυζικηνὸς ἐν πρώτῃ τῶν ἑπτὰ περὶ τῆς πατρίδος· „νήσων" λέγων „Προκόννησος καὶ Φοίβη — καὶ Βέσβικος" latine „insularum Proconesus et Phoebe — et Besbicos" ut genitivus a sequentibus nominibus pendeat. Affert igitur ipsa scriptoris verba, et ubi Βέσβικος, cuius caussa id susceperat, memoravit, a reliquis manum tollit.

Redeo ad institutum. His enim dictis, est opus facillimum, quae illi Diogeniano male adiuncta erant, huic red-

dere; quia apud hunc a voce ἔγραψε coepit Suidas, et propterea accusativis uti debebat. Ita post „περὶ στοιχείων" adiungerentur „περὶ ποταμῶν κατὰ στοιχεῖον ἐπίτομον ἀναγραφήν· συναγωγὴν καὶ πίνακα τῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ πόλεων καὶ τὰ λοιπά.", qua ratione simul illa difficultas, quae ex duplici „περὶ ποταμῶν" orta est, sine ulla controversia tollitur.

Attamen nondum huic disputationi modum statuere possum. Novam enim nuper Bastius excitavit difficultatem, codice Suidae Parisino comparato, in quo alia leguntur, quam quae Aldinus liber monstrat. Sed audi ipsum, ad Greg. Corinth. p. 242. „Ceterum de nostro Diogeniano Suidas agit, ubi in editione Kusteriana, perinde ut in Mediolanensi, propter ὁμοιοτέλευτον integer articulus excidit, quem data hac occasione ex cod. Paris. 2625. sic supplebo

„Διογενὲς· εὐγενέστατον.

Διογενειανός· Ἡρακλείας Πόντου· γραμματικός, γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως.

Διογενειανός· Ἡρακλείας ἑτέρας, οὐ τῆς Πόντου· γραμματικός· γεγονὼς καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως. ἐπιστατέον δὲ μήποτε etc. — ἦν γὰρ οὗτος παντοῖος λόγος" cett.

Tota rerum facies, his repertis, mutatur; quare vellem Bastius sequentia non praetermisisset, sed proposuisset omnia, quae de Diogeniano in illo codice, qui haud dubie optimae notae est, enarrantur. Mira profecto est diversitas scripturae; et quanquam Bastio, quod codex Parisinus habet, verissimum esse videtur, mihi tamen dubitationes natas esse confiteor. Nam si Bastius voci αὐτός nititur, quae quid sibi velit, ex eius sententia, nemo facile perspiciat: id quidem me non valde movet; utpote qui sciam, eam vocem apud Suidam non raro adiici, ubi quid sibi velit, non est perspicuum, nimirum quia alio ordine res sese excipiunt, quam quo primum scriptae erant. Sed maius est, quod si Parisinum codicem sequimur, Suidae dicta non satis apta sunt. Quodsi enim grammaticus ῥητῶς hanc sibi stare sententiam

professus est „ex Heraclea Pontica virum non ortum esse“; deinde suspicatur, Heracleam Albacen eius patriam fuisse: quo tandem modo ita pergere potuit „οὐ γὰρ ῥητῶς εὗρον τὸ ἐξ ἡρακλείας αὐτὸν εἶναι ἐν πόντῳ, ἀλλ' οὕτω παρά τισι δεδόξασται“? Nonne longe aptiora haec forent, si antea scriptor dixisset, ex Pontica Heraclea Diogenianum prodiisse; ut in Aldinô libro leguntur? Praeterea erroris caussam fuisse ὁμοιοτέλευτον Bastius coniecit. At si scriptor a priore „γεγονὼς“ ad posterius deferebatur oculis, quomodo factum est, ut καὶ excideret? Accedunt accusativi nominativos excipientes. Ut brevi, quod sentio, comprehendam, corruptelae origo latius patet: magnaque vitia non eos solum libros, quibus Aldus, Kusterus aliique usi sunt, sed Parisiensem etiam codicem occuparunt.

Non sum nescius, me codicibus aliisque adiumentis omnino destitutum, si has tantas difficultates vincere aggredior, nimis audacem omnibus visurum esse. Propterea a nulla re tanto opere me cohibeo quam ab ea immodestia, quae tanquam de tripode loquitur. Iam igitur missa illa supra dicta coniectura, alia animum subit, vel verisimilior. Quae in antiquis exemplaribus de uno Diogeniano dicta erant, ea ab initio disiuncta, ita separanda sunt, ut scripta prius nominata et nominativo casu exhibita posterioris sint, posterius autem nominata casu accusativo prioris. Locum igitur ita digero:

Διογενειανός· Ἡρακλείας Πόντου· γραμματικός· γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως· [ἔγραψε] περὶ ποταμῶν κατὰ στοιχεῖον ἐπίτομον ἀναγραφήν· συναγωγὴν καὶ πίνακα τῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ πόλεων καὶ τὰ λοιπά.

Διογ. Ἡρακλ. ἑτέρας οὐ τῆς Πόντου — ἀκροαρειῶν.

Nihil ulterius audeo, quanquam ita quoque locum non persanatum esse credo. Neque silebo, hanc quidem posteriorem coniecturam eo commendari, quod quae ab initio codicum auctoritate ostensa est corruptela, ea facile potuit finem quoque occupare; priorem autem, quae Cyziceno grammatico

scripta geographica περὶ πόλεων et ποταμῶν tribuit, propterea non displicere, quod illius alios libros eiusdem generis novimus. Discernere igitur nolim, et ad aliorum codicum proventum, si qui in bibliothecis latent, lectores ablegare.

Addam tamen, non quae iam ad felicem exitum perducere potuerim, sed quae suspicer magis et coniiciam, neque vero temere me cogitasse censeam. Nam post ea verba „περὶ ποταμῶν κατὰ στοιχεῖον," quae plene dicta, nullo additamento indigent, adiicitur ut vidimus „ἐπίτομον ἀναγραφήν." Quid haec sibi volunt? Nonne enim dicendum fuisset aut „ποταμῶν ἀναγραφήν" aut „περὶ ποταμῶν" sine voce ἀναγραφήν? Quare in his aliquid supplendum esse puto; quid illud sit, non dixerim.

Sed apud Etymologum s. v. Αἴλιος, p. 34, 2 seqq. ed. Sylb. haec reperio: „Αἴλιος ὁ Ἀδριανὸς ὁ βασιλεὺς ἐκαλεῖτο· ὅθεν Αἴλιοι χρηματίζουσι· καὶ Αἰλία, πόλις Παλαιστίνης· ὁ πολίτης Αἰλιώτης· ὅτι δὲ Αἴλιος ἐκαλεῖτο Διογενιανὸς ἐν τοῖς χρονικοῖς φησί." De re ipsa nulla est dubitatio. Nam utrum pater Hadriani cognomentum Aelii iam habuerit, nec ne, non satis certum est, quoniam alii, ut Dio Cassius, id cognomen omittunt, alii ut Spartacus, c. 1. addunt. cfr. Dio Cass. lib. LXIX. p. 1151. ed. Reimar.: filium autem plerique omnes Aelium vocarunt. Diogeniani autem chronica qui praeter Etymologum citaverit, novi neminem. Iam vero apud Suidam „χρόνων ἐπίτομον ἀναγραφήν" scribi debere, suspicor. Videri enim possint chronica Diogeniani eam ob caussam hic esse laudata, quod is testis aequalis fuerit, et propterea reliquis omnibus praeferendus. Non nego tamen, aliam quoque coniecturam verisimilitatis aliquid habere. Etenim cum Cyziceni Diogeniani librum esse „πάτρια Κυζίκου" sciamus: eius ipsius opus chronicum putare possumus. Eo ducere videtur Tzetzes, qui ubi de Apollonio Tyanensi loquitur, Chil. II. hist. LX. v. 973. χρονικά et πάτρια coniungit,

γράφουσι ταῦτα πάτρια καὶ χρονικῶν τι πλῆθος.

Idque confirmari posset Hesychii Milesii exemplo; qui Historiam chronicam scripsit et πάτρια Κωνσταντινουπόλεως, quem librum sexti διαστήματος χρονικῶν initium esse Fabricius suspicatus est, cfr. Fabric. bibl. Gr. lib. V. cap. 5. §. 12. (Vol. VI. p. 240.) et Meursium et Conr. Orellium in Hesychii Milesii Opusculis p. 213. et 292. seq.

Denique ad ultimam festino suspicionem. Inter libros Diogeniani alterius memoratur „ἐπιγραμμάτων ἀνθολόγιον“, cuius nullum est apud scriptores veteres vestigium. Quod eo magis mirum est, quia alii libri huius generis non solum memorantur frequenter, sed etiam ad nostram usque aetatem descenderunt. Quid? quod ex ipsa Hadriani aetate Stratonis Μοῦσα παιδική saepe celebratur. Atque ipsa nostri libri inscriptio habet peculiare aliquid, quoniam ἀνθολογία plerique dicunt, non ἀνθολόγιον, quod frustra in lexicis quaesivi. Solemus autem hac voce audita de epigrammatis variorum poëtarum collectis cogitare. Sed nisi fallor poëta, qui varia epigrammata diversi generis condiderit, eorumque partem aliquam edere susceperit, suum ipsius librum eodem modo inscribere possit. Quod si verum est, hoc titulo ad Diogenem Laërtium trahimur, quem scimus epigrammatum volumina ab ipso factorum edidisse. Primum enim suum hunc librum ipse saepissime laudavit, fere in singulis quibusque philosophorum vitis. Fusius autem de eo duobus potissimum locis exposuit, I, 39. „ἔστι καὶ παρ' ἡμῶν εἰς αὐτὸν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἐπιγραμμάτων, ἢ παμμέτρῳ τόδε τὸ ἐπίγραμμα“ et §. 63. „ἔστι δὲ καὶ ἡμέτερον ἐπίγραμμα ἐν τῇ προειρημένῃ ἐμμέτρῳ, ἔνθα καὶ περὶ πάντων τῶν τελευτησάντων ἐλλογίμων διείλεγμαι παντὶ μέτρῳ καὶ ῥυθμῷ, ἐπιγράμμασι καὶ μέλεσιν, ἔχον οὕτως“ Quanquam igitur apud Suidam libri titulum „πάμμετρον“ non reperimus: tamen, ut ipse primum τῶν ἐπιγραμμάτων citat, ita alius quoque non prohibebatur, quominus, rem ipsam spectans, librum epigrammatum collectionem, vel ἀνθολόγιον vocaret, praesertim quum omnibus metris usus esset. In Suidae lexico autem saepissime ita tituli indicantur, eodemque modo

variatur in libri titulo, quem etiamnum possidemus, aliique „περὶ βίων, δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων, τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων“, alii: φιλόσοφοι βίοι ut Phot. Myriob. CLVI., alii σοφιστῶν βίοι ut Eustathius, alii aliter inscripserunt, quanquam ipse librum vocaret „φιλόσοφος ἱστορία.“ (cfr. Menag. Animm. ad Diog.Laert. p. 1.). Deinde alii quoque eius epigrammata celebrant. Dicitur enim a Tzetza Chil. III. cap. 61. ἐπιγραμματογράφος; et in Graeca Anthologia plura carmina ad eum auctorem referuntur.

Quae si me non fallerent — dubitanter enim mihi dicendum esse, bene perspicio, — sequeretur inde, priorem Diogenianum ex Ponto hunc esse Diogenem Laërtium. Vix credo, futurum esse, qui iam cum Diogeniani nomen audierit, de rei veritate dubitet. Si tamen est, qui ostensa eorum nominum frequentissima commutatione haesitet tamen et haereat, commoneo ipsum nostrum Diogenem Laërtium Diogenianum appellari apud Tzetzam l. l., quod ipsum et Menagius l. l., Ionsius III, 12, 5., Vossius de histor. Gr. II. cap. XIII. p. 223. et alii diu ante me notarunt. Qui autem, dicunt aliqui, qui Diogenis Laërtii opus „φιλόσοφον ἱστορίαν“ praetermittere potuit? Id ego quoque mirarer, nisi ea esset apud Suidam corruptela, qua facile librorum nonnullorum tituli excidere poterant. Nonne autem, si posterior mea coniectura valet, qua Cyzicenum Diogenem ab his scriptis secludimus, ut ipsum verbum ἔγραψε praetermissum esse patet, ita primos quoque titulos secum traxisse probabile est?

Ceterum quam gravis sit magnique momenti ea coniectura, mihi non incompertum est. Etenim dubitatum est de nomine „Λαέρτιος,“ utrum illud a patre, an ab urbe Laërte, quae est in Cilicia, acceperit. Antea igitur quum plerique opinionem posteriorem amplexi essent: nunc prioris veritas esset demonstrata. Quid autem? iustaene aderant caussae, quibus commoti virum ex Laërte ortum putarunt? Lege Menagium et Ionsium ll. ll., lege Fabricium lib. IV. cap. XIX. aliosque. Nihil certi, nihil quod cogere possit afferunt. Ni-

tuntur in Stephano Byzantino, cui in voce *Χολλίδαι* laudatur Diogenes „*ὁ Λαερτιεὺς ἐν δευτέρῳ φιλοσόφου ἱστορίας*“ „qui locus,“ ait Fabricius „ni sit corruptus, Laërtium a patria dictum esse, cum viris doctissimis mihi persuadeo.“ At idem Fabricius modo dixerat, eundem Stephanum in *Λαέρτης* duo tantummodo nomina patronymica ab hac urbe afferre, *Λαερτῖνος* et *Λαέρτιος*, et ultimum illud elegantius dici contendisse. Qui autem ipse potuit alio uti patronymico *Λαερτιεύς?* praesertim quum s. v. *Δρυΐδαι* nomine *Λαέρτιος* usus esset. Quid cetera commemorem? Ab Eustathio vocatur *Λαέρτης;* neque illepidus est eorum lusus, qui Homeri versum „*Διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ*“ compararunt. In inscriptionibus ex Augusti aevo comparet Q. Laërtius, ap. Gruter. p. 299., C. Laërtius Sabinianus apud Fabrettum p. 251. Nominum transpositio „*Λαέρτιος Διογένης*“ non aliter dicitur, nisi ut Nepos Cornelius, Crispus Salustius. Nihil est igitur, quod nostrae coniecturae obstet. Ita hercle opinor, verum verum nescio, ut ait Plautus. Frustra tamen in opere nostri toto et singulatim in vita Heraclidis Pontici eius rei certiora signa quaesivi. Alia nec tamen ullo testimonio munita est Sponii sententia, qui teste Menagio *Ποταμὸν* patriam fuisse Diogenis Laërtii in itinere suo, tomo 2., nescio unde acceperat. Estne vero mutatio inter *Ποταμὸν* et *Πόντον* orta? Non credo.

Dubitatum est praeterea de tempore, quo Diogenes vixit; de quo longam doctamque disputationem scripsit Ionsius, Scr. H. Ph. III, XII, 7. seqq. si modo eius est laus, non Gudii, ut volunt. Quanquam autem fere omnes ei assenserunt, eoque auctore Laërtium non ad Hadrianum imperatorem, sed ad Severum potius rettulerunt, tamen non omnia argumenta ita sunt comparata, ut in eius sententiam abire cogamur. Meminit Plutarchi, Phavorini, Secundi, qui omnes circa Traiani et Hadriani aetatem vixerunt. Fateor; inde autem non sequitur, Diog. Laërtium *post illos vixisse*; vivere enim cum illis, post eos scribere potuit. Vixit post Sextum Empiricum eiusque discipulum Saturninum, quia

eos laudat. Rem ipsam non nego; rationem autem, qua post illos vixisse dicitur, iterum impugno. Verum est quidem, antequam Laërtius philosopham historiam scripsisset, Sextus δέκα τῶν σκεπτικῶν ediderat. Sed ipse quoque iam antea epigrammata fecerat vulgaveratque; nihil igitur contra nos pugnat, si eos aequales fuisse sumimus. At de ipsa aetate Sexti Empirici Ionsius hoc modo disputat: „Magistrorum et discipulorum quorundam Pyrrhoniorum et Empiricorum hunc dat ordinem. Antiochum audiverunt Menodotus et Theudas, Menodotum Herodotus, hunc Sextus, praeceptor Saturnini. Sed Galenus περὶ ὑποτυπ. ἐμπειρ. quem iuvenis ante annum aetatis XXXVII. tempore Antonini Philosophi scripsit, ubi Empiricos recenset, Menodotum et Theudam ultimo nominat, posteriorum omnino mentionem ibi facturus, si alicuius nominis atque famae tum fuissent: ut ita Laërtius paulo post Galenum floruerit, aut eo iam sene vixerit.“ Ea autem argumentatio speciem praebet quandam, sed non sufficit. Sprengelius enim in praeclara artis medicinae historia de empirica medicorum schola disserens, I. p. 699. seqq. Menodotum et Theudam ultimos empiricorum nominavit, neque praeterea quemquam addidit. Sextus enim Empiricus, licet medicinam artem professus sit, tamen est propter libros scriptos cum Saturnino philosophis magis adnumeratus, et a Galeno in libro illo, quo contra medicos empiricos, qui pro medicina empirica aliquid composuerunt, pugnat, iure et consilio praetermissus. Ordo autem Laërtii quanquam ita comparatus esse videri potest, ut Menodotum ab aetate Sexti procul removere cogamur: tamen harum rerum periti non diu dubitabunt, quippe qui sciunt philosophicarum scholarum rationem apud antiquos eam fuisse, qua saepe discipuli et praeceptores eadem aetate vixerunt. Immo non raro discipuli praeceptoribus natu maiores fuerunt. Quae quidem res quo magis perspicua sit, apponam locum ex libro εἰςαγωγὴ ἢ ἰατρός, qui Galeni nomine fertur, sumptum „Μετὰ Φιλῖνον ἐγένετο Σεραπίων Ἀλεξανδρεύς, εἶτα Ἀπολλώνιοι δύο πατήρ τε καὶ

υἱὸς Ἀντιοχεῦς, μεθ' οὓς Μηνόδοτος καὶ Σέξτος, οἳ καὶ ἀκριβῶς ἐκράτυναν αὐτήν." In his enim Sextus nominatur, et cum Menodoto ita coniungitur, ut eidem periodo adscribatur. Sextum Empiricum igitur et Diog. Laërtium aequales fuisse iudico, et ex ipsa ratione, quam Diogenes tenet, ubi de Sexto loquitur, colligo. Ac quo tempore scribebat Laërtius, Sextus decem libros τῶν σκεπτικῶν ediderat, fortasse tres quoque libros ὑποτυπώσεων Πυῤῥωνείων, sed πρὸς τοὺς μαθηματικοὺς λόγους δέκα nondum in lucem emiserat. Ordo enim, quo Empirici nostri scripta sese exceperunt, vel ex ipsis libris perspicuus est; cfr. Fabric. l. l. §. II. Libros autem, quos posteriore aetate scripsit, contra mathematicos, Laërtius haud dubie non praeteriisset.

Verbo tantum aliam tango caussam, quam ut Laërtii vitam ad posteriores imperatores detruderent, protulerunt. Quoniam enim Laërtii liber feminae dedicatur, quam ipse φιλοπλάτωνα nominat; et Arria quaedam, cuius auctor libri de Theriaca meminit, Platonem legere solebat: Reinesius hanc esse illam feminam coniecit. Quem qui sequebantur, primum operose aetatem Arriae enucleare debebant, et ita deinde Laërtii tempus cognoscere volebant: qui conatus omnes quam sint dubii et incerti, unicuique sese prodit. Plures illo tempore doctae feminae memorantur, quarum unam tantum eamque frequenter Laërtio citatam affero Pamphilam.

Quodsi igitur a me evictum est, rationes a Ionsio allatas non satisfacere: eo melius possumus ad priorem aetatem redire. Sunt autem alia rei signa, quae praeterire nefas esset „Ἔτι πρὸ ὀλίγου καὶ ἐκλεκτική τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸ Ποτάμωνος τοῦ Ἀλεξανδρέως" ait Laërtius in prooemio; Potamo autem, Suida teste, sub Augusto et post eum vixit; quare non diu post Augustum Laërtius quoque ponendus est. Cetera praetereo. Ceterum vix mihi monendum erit, si Laërtius sub Adriano vixisse dicitur, id non ita intelligendum esse, ut ad posteriores imperatores vitam non extenderit. Unum tantummodo habeo, quod addam. Fuit

qui iam antea Hadriano regnante Diogenem vixisse referret. Bartholomaeus enim Amantius, Florilegio sententiarum, edito Dilingae a. 1556, Ionsio monente, ita de nostro locutus est „Laërtius Diogenes servavit perpetuum silentium ex eo, quod matri ex eius sermone ac tentatione mors accidisset, nec illum Hadrianus imperator ad loquendum etiam capitis poena indicta commovere potuit: cuius constantiam admiratus pepercit“ cett. Sed eadem ab aliis de Secundo philosopho enarrantur. Utut est, id quoque Amantius vix committere potuit vitium, nisi eadem aetas ex eius sententia Secundum et Laërtium tulisset.

Ab aetate denique ad viri scripta descendimus. Hactenus unus tantum eius liber notus erat, φιλόσοφος ἱστορία et praeterea πάμμετρον. Nunc si vera esset coniectura a me proposita, plura addere liceret. Ac sane iam Menagius ex Laërtii ipsius verbis II, 65. collegerat, eum alia quoque composuisse, „ὡς ἐν ἄλλοις εἰρήκαμεν.“ Certum tamen libri titulum aliunde non novimus.

His expositis, tandem aliquando ad nostrum lexicographum revertimur. Ac primum quidem ab eo, quem Hesychius nominavit, forma nominis differre videtur, quia ille Διογενιανός simplici ι, hic Διογενειανός appellatur. Antequam Bastii commentationem legeram, qua glossa praecedens Διογενής in Διογενές, codice Parisiensi duce mutatur, in Suidae codices vitium irrepsisse suspicabar; quia Suidas accurate sequitur litterarum ordinem. Iam vero codicis illius scriptura non sollicitanda est. Quanquam autem plerique, qui lexicon Diogeniani citant, breviorem formam adhibent: sunt tamen inter eos etiam, qui diphthongum amplectantur, ut grammaticus apud Bachmannum, Anecdd. II, p. 466. Est igitur haec difficultas non magna. Etenim grammatici et codices librorum propter elocutionis rationem saepe variant in litteris ει et ι ponendis: et in hac re ab etymologia pendent; cuius diversas leges diversi sequuntur. Ita substantiva in ια et εια formantur, si ab adiectivis in ης desinentibus descendunt, cfr. Buttm. ausführl. gr. Gr. II, p. 323, Anm.

23. Ahrens in Iahn's Iahrb. XIII, II, p. 191. Ceterum de orthographiae legibus, quas Suidas secutus est, peculiari commentatione disseram.

Deinde cum Suidas ipse incertus sit, qua ex Heraclea ortus sit, et utrum grammaticus, an medicus: nos quoque nihil certi habemus. Est in Galeni libris Diogenianus, eius amicus, cui suum librum περὶ ἀντιβαλλομένων dicavit; cfr. XIII, p. 965. ed. Paris. (cl. V. p. 171. ed. Basil. latin. In graecis enim libris ibidem editis pars praefationis deest.) quem ait veritatis esse amatorem ac simplicium medicinarum virtutes ediscere cupere. Alterum Plutarchus memorat in Symposiacis, Diogenianum Pergamenum; de quo nihil praeterea comperi. Qui quidem omnes quum huc non pertineant, maiore fortasse iure producitur Diogenes medicus, quem Galenus nominat, de Composit. medicament. κατὰ τόπους lib. III, cap. 3, IX, cap. 7. At, ut dixi, nihil decernendum est.

Maior est de Diogeniani aetate quaestio. Quanquam enim Hesychius, qui suum Diogenianum post Apionem et Apollonium, Didymum et Theonem vixisse perhibet, et Suidas, qui Hadriano regnante floruisse suum ait, non dissentiunt: recentiores tamen de huius sententiae veritate dubitarunt. Etenim dubitandi materiam praebuit liber a Suida, si codices verum habent, praetermissus, nostrae autem aetati servatus, quo proverbia explicantur. Possemus igitur, quoniam liber a Suida non commemoratus est, de alio Diogeniano eum loqui, credere, et totam hanc dubitationem negligere. Sed quoniam id ipsum non certum est, utrum Diogenianus singulare opus de proverbiis scripserit, an in lexicon suum proverbia receperit, ex quo nescio quis ea excerpsit: cfr. Fabric. Bibl. Gr. IV, c. IX, §. IV.: nostrum est, ea quoque, quae e libro de proverbiis perspiciuntur, respicere. Impugnavit autem quae Suidas de paroemiographis, Zenobio et Diogeniano, protulit, quem utrumque ad Hadriani aetatem rettulit, Saxius his verbis „Sed quum uterque pro-

verba e Luciano, qui sub M. Aurelio celebris fuit, sumta laudaverit, tanquam Zenobius Cent. II, n. 1. et Cent. III, n. 68., Diogenianus vero Centur. II, n. 89. et Cent. V. n. 23, facilis ad coniiciendum ratio est, eum Luciano serius et fortassis circa haec quoque tempora uterque collocari possit." Onomast. I, p. 339. Quaeritur autem de Luciani aetate, quam Suidas, in hac re sibi constans, ad Traianum Imperatorem rettulit, „ἐπὶ τοῦ Καίσαρος Τραϊανοῦ καὶ ἐπέκεινα", quo evincitur, Lucianum Diogeniani aequalem fuisse. Initium vitae Luciani in Traiani, Diogeniani in Hadriani imperium cecidisse, probabile est. Quare his quoque non movemur, quanquam cum ipso Suida persuasi, aetatem eius diu post Traianum extendendam esse, cfr. Vossius de histor. Gr. II, XV, p. 232. de rhetor. natura ac constitut. cap. XII, p. 339, b.

Denique ad scripta Diogeniani accedo. Quum omnia, quae Suidas habet, propter magnam corruptelam, quae eius verba occupavit, sint quam maxime dubia, nihil nobis reliquum est quam lexicon, cuius caussa haec omnis disputatio suscepta est. Praeterea Montefalconius in diario Italico p. 214. ex scholio Graeco ad Nazianz. haec exhibet „ἐκ τοῦ Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Οὐησστίνου Ἑλληνικῶν." (Fabric. bibl. Gr. IV, IX, 4. Οὐσεστίνου falso) quae memoratu dignissima sunt. Tiberius Hemsterhusius pro portentoso nomine, ut vocat, substituendum esse Ἰουστίνου, Valckenarium monuerat, cfr. Valck. ad Phoen. p. 598, quare verisimile est, eum de Iustini historia Graeca cogitasse, qui Trogum excerpsit, et ex sententia G. I. Vossii de histor. Lat. I, 32. p. 168. Antonini aetate vixit. Hanc coniecturam veram esse, Valckenario simile vitium persuasit in Suidae lexico, ubi pro Οὐηστῖνος, Vestinus, Ἰουστῖνος scriptum est, cfr. Valck. Theocritt. p. 294. C. Equidem certam sententiam non habeo, neque possum habere, quum ipsum Montefalconium inspiciendi nulla sit facultas data. Miror tamen, cur Valckenarius et Hemsterhusius, non σ illud eiicere, et Οὐηστίνου restituere voluerint: neque quid verba sibi velint in-

telligo. Ceterum Ruhnkenius praef. ad Hesych. p. 10. coniecturam, ne verbo quidem addito, recepit. His igitur missis, ad lexicon memoratum transeo.

§. 3.

De Diogeniani lexico.

Diogeniani lexicon, si Suidae credimus, inscriptum erat: „*λέξεις παντοδαπαὶ κατὰ στοιχεῖον;*“ si Hesychio, singulis in libris propriam quandam habebat inscriptionem: *Περιεργοπένητες;* quae sibi non adversantur, sed facile inter se coniungi possunt: Photius, quem iam nunc tertium de Diog. lexico testem produco, libri inscriptionem non notavit. Memoratu autem id ipsum dignissimum est, quod quum Photius librorum magnam copiam descripserit et Diogenianum, quem bis commemoravit, bene cognoverit, singulatim de eo exponere dedignatus est. Nam nisi fallor, inde colligendum est, tam notum omnibus et tam frequenter in usu et manibus hominum illum librum Photii aetate fuisse, ut accuratiore descriptione supersedere posset. „*Ἤτησας,*“ scribit ad Tarasium p. 1. ed. Bekk. „*τὰς ὑποθέσεις ἐκείνων τῶν βιβλίων, οἷς μὴ περιέτυχες, ἀναγινωσκομένους γραφῆναί σοι.*“ Idque etiam eo confirmatur, quod, ut vidimus, scholiastarum magna multitudo librum commemoravit eumque in usum convertit.

Varia erant illa aetate lexicorum genera. Quanquam autem Suidas huius lexici indolem et naturam non multis verbis enarravit, eam tamen ex ipso quem praefixit titulo cognoscimus. *Παντοδαπαὶ* enim *λέξεις* nil nisi variarum ex omnibus glossarum collectio est. Apud Hesychium enim II, p. 855. vox ita explicatur „*Παντοδαποῖς· διαφόροις. Παντοδαπός· παντοῖος σύμμικτος. Παντοδαπῶν· παντοίων καὶ διαφόρων.*“ Cogitandum igitur, *λέξεις* ex variis scriptoribus collectas in hoc libro explicatas fuisse; quos potissimum scriptores secutus fuerit, brevitatis caussa in libri

inscriptione Suidas non indicavit. Quare bene sit Photio, qui nos dubitare et incertos esse non sinit. Is enim in Biblioth. cod. 145. et 149. poëticas voces a Diogeniano esse collectas disertis verbis perhibuit, p. 99, a. 4. ed. Bekk. „πεζοῦ δὲ λόγου" de Helladio ait „ἔστι τὸ πλεῖστον τῶν λέξεων, ἀλλ' οὐχὶ ποιητικοῦ, ὥςπερ ἡ Διογενιανῷ ἐκπονηθεῖσα συλλογή" idemque repetiit in lexici sui ad Thomam nescio quem praefatione „αἱ τῶν λέξεων πλείους, περὶ ἃς τὸ ποιητικὸν νέμεται ἔθνος εἰς τὸ ὠφελιμώτατον τοῖς βουλομένοις παρέχειν Διογενιανῷ συνελέγησαν", quomodo verba scribenda esse vidit Ruhnkenius praef. p. X. Adde Phot. Porson. p. 686. (p. 593. ed. Lips.) Haec igitur Suidae Photiique testimonia facillime coniunguntur, et sese invicem explicant. Quamobrem id ipsum simul confirmatur, quod pro vero hucusque sumsimus, Photium et Suidam non de diverso loqui Diogeniani lexico; et errare Ruhnkenium, qui re non pensitata contrariam sententiam pronuntiavit, praef. p. X. Neque obscurum est, lexicon a Photio et Suida nominatum idem esse, quod Hesychius, ut Ruhnkenii verbis utar, cum pulvisculo exhausit. Nam ut taceam, afferri ex Diogeniano vocem, quae apud Hesychium exstat, nostrum lexicon re vera poëticas potissimum voces continet. Ita visum est doctissimis hominibus, quorum nunc Heinsium tantummodo nomino, qui in codice suo notaverat, Hesychianum lexicon thesaurum esse „non tam Graecae linguae, quam Poëtarum", cfr. testimonia in Alberti edit. extr. pag.

Hesychius autem nihil ait de poëtis, nihil de variis glossis in librum receptis, sed omnia omnium scriptorum vocabula esse a Diogeniano collecta, non solum Epicorum, Tragicorum, Comicorum, sed etiam Oratorum, Medicorum, Historicorum. Quod si vere Diogenianus voluisset, quid Galenus contra eum disputasset, qui in praefat. ad vocum Hippocraticarum explanationem, Dioscoridem vehementer reprehendit, qui omnia Hippocratis vocabula se expositurum pollicitus fuerat, sed ut Galenus ait, ne tertiam quidem aut quartam partem omnium vocabulorum Hippocratis exposue-

rat, cfr. p. 402. ed. Franz. At noster Hesychius, ut grammaticorum permulti, discrimen quod est inter γλώττας et λέξεις, ibi a Galeno expositum negligebat, et ita omnes γλώσσας omnium vel τὰς ζητουμένας λέξεις Diogenianum conquisivisse enarravit. Sed ita quoque videtur et Suidae et Photio adversari.

Ruhnkenius tamen Hesychium ivit defensum. „Recte" ait „Hesychius dixit, Diogenianum omnis generis voces collegisse, recte Photius, eundem lexicon poëticum confecisse. Etenim ex Hesychio, id est, ex ipso Diogeniano constat, maiorem a Diogeniano rationem habitam esse poëtarum, quam qui soluta oratione scripserunt" cett. Neque id iure negari potest. Sed Hesychium non accurate esse locutum, et nimis magnifica laude Diogeniani librum exornasse, non minus verum est. Quis enim ex Hesychii verbis colligere potuisset, non pari studio esse omnia tractata, sed ea maximo, quae ad poëtas pertinent? Diogenianus igitur idem fecisse putandus est, quod de se ipso praedicat in suo genere Photius. Is enim quum lexicon comparasset, quo solutae orationis scriptores explicarentur, a poëticis se non omnino abstinuisse confitetur „οὐδὲ τῶν ποιητικῶν παντελῶς ἀποστάς· ἐπεὶ μὴ δ' ὅσοι ταύτας συνειλόχασι, τῶν ἁρμοζόντων τῇ χωρὶς μέτρου φράσει παντελῶς ἀπέσχοντο." Quicunque autem Photii et Diogeniani libros accuratius inspicit, non potest nisi huius dicti veritatem sentire. Bene igitur actum est cum nostris antiquarum litterarum studiis, quoniam duo nobis servata sunt lexica, quorum alterum poëtarum, alterum pedestrium scriptorum vocabula difficiliora explanat. Schowius autem, qui ex Photiani lexici editione in usum Hesychiani magna speraverat, magnis partibus fallitur: quanquam aliquatenus id verum esse, iam ex ipsa Albertina Hesychii editione perspicitur. In fine non possum quin Ruhnkenii errorem notem, quem in defendendo Hesychio admisit. Posteaquam enim poëtarum genera omnia percensuit, multaque singulorum nomina enumeravit: ita pergit „quibus omnibus vel ipse Diogenianus, vel

postea Hesychius adiecit Aristophanis et aliorum glossaria ad Laconum, Cretensium, Tarentinorum, aliorumque populorum voces explicandas comparata." Perspicuum enim est et notum, ea omnia ex poëtarum Laconicorum, Creticorum aliorumque carminibus hausta; et si erant singuli quique inter illos prosaici scriptores, saltem de reliquis glossis separari minime debebant.

Lexica condere grammaticis iam a primis Alexandrinae doctrinae temporibus usitatum est, Wolf. Prolegg. p. CXCVI., etsi ipsum *lexici* nomen serioris est originis, et apud Hesychium nostrum repertum, cfr. Osann. praef. ad Philem. p. XIX. In disponendis singulis vocabulis mox utebantur alphabetico ordine, perinde ut Aristarchus libros Homericorum carminum distribuit. Alii seriem quandam rerum secuti sunt, ut Pollux in Onomastico, in plantis enumerandis Dioscorides. Nostrum autem Diogenianum κατὰ στοιχεῖον lexicon suum scripsisse, Suidas auctor est. Sed eorum quoque varia erant genera. Nonnulli enim primam tantum litteram, nonnulli primam et alteram respiciebant; fuerunt etiam qui tertiam et quartam adiicerent; denique qui ut apud nos, accurate quantum id fieri potest, fere omnium litterarum seriem observarent. Osannus enim, qui praef. ad Philem. p. XXIV. ait sese nullum nosse secundum litteras more huius aetatis dispositum, a veritate aberrat. Nam Suidas hunc morem accurate tenuit. De Diogeniano Hesychius „προέθηκε δὲ κατ' ἀρχὴν ἑκάστης λέξεως τριῶν ἢ τεσσάρων στοιχείων τάξιν, ἵν' οὕτως εὐμαρεστέραν ἔχοι τὴν εὕρεσιν, ἧς ἐπιζητεῖ τάξεως ὁ τοῖς βιβλίοις ἐντυγχάνειν προαιρούμενος", quibus e verbis colligere licet, in tertia etiamnum vel quarta littera accurate litterarum seriem observatam fuisse. Neque repugnat Photius, qui de Helladii lexico dicens, illud cum Diogeniano comparat „πεζοῦ δὲ λόγου ἐστι τὸ πλεῖστον τῶν λέξεων, ἀλλ' οὐχὶ ποιητικοῦ, ὥσπερ ἡ Διογενιανῷ ἐκπονηθεῖσα συλλογή· οὐδὲ κατὰ πάσας τὰς συλλαβὰς τὴν τοῦ στοιχείου τάξιν φυλάττει, ἀλλὰ κατὰ μόνην τὴν ἄρχουσαν", quo loco ipse

Osannus contra se uti debebat. Notam enim Photio videmus accuratam distributionem.

Denique in libri laude Hesychius et Photius apprime conveniunt, dum uterque illum studiosis utilissimum esse pronuntiat. Iam vero praeterea ipsi quidem inter se conveniunt, sed coniuncti Suidae adversantur in re maxima, nunc accuratissime nobis explananda.

CAPUT QUINTUM.

DE PAMPHILI GLOSSIS A DIOGENIANO EXCERPTIS.

§. 1.

Tota Hesychii Photiique de Diogeniani lexico narratio, quam qui sequitur, Diogenianum verum eius et unicum conditorem, suisque ipsius tantummodo studiis confisum esse credet, a Suida vel ab eo scriptore, quem Suidas in suo lexico expilavit, redarguitur. Ibi enim s. v. *Διογενειανός* haec verba legimus „*ἔστι δὲ αὐτοῦ βιβλία ταῦτα· λέξεις παντοδαπαὶ κατὰ στοιχεῖον ἐν βιβλίοις ε΄· ἐπιτομὴ δέ ἐστι τῶν Παμφίλου λέξεων, βιβλίων ε΄ καὶ τετρακοσίων καὶ τῶν Ζωπυρίωνος*“ cett., e quibus discimus, Diogenianum epitomen lexici, quod Zopyrio inchoaverat, Pamphilus autem perfecerat, condidisse. Sed ne verbum quidem de alio lexico dictum audimus. Quodsi solus Hesychius aut dolo malo usus aut imprudens in errorem abiisset: eam rem non magni faceremus. Id autem vehementer miramur, quod non solum permulti illi grammatici, qui Diogeniani *λέξεις* citarunt, nihil de Pamphili epitome cognosse videntur; sed Photius quoque, vir doctissimus et a librorum copia instructissimus, sua auctoritate pro iisdem partibus pugnat. Quare necessum est, rem accurate perquirere; imprimis quum Suidae in vitis enarrandis tanta sit fides et auctoritas, ut neque eius silentium, neque testimonia ab eo prolata merito negligantur. Ac profecto res a Suida dicta per se est, nisi fallor, perquam verisimilis. Quicunque enim accurate legit, quae de Diogeniano

Hesychius dixit, vocumque traditarum et explicatarum copiam perpendit et omissa scriptorum, qui usi sunt vocibus, nomina librorumque eorum titulos neglectos cogitat: eius animus ultro illuc trahitur, ut hanc esse epitomae rationem credat. Quapropter a Ruhnkenio mirum quantum dissentimus, qui hanc rem obiter tetigit, neque totam eius vim cognovit. Audi enim, quam paucis verbis quamque incerte omnia absolverit. „Sed hoc" ait „caussae nostrae neque prodest, neque obest. Quid enim impedit, quo minus, qui ante nonnullorum Grammaticorum Lexica contraxisset, posthac ex omnium huius generis libris universale quoddam lexicon compilarit? Quamquam saepe animus tentatus est, ut putarem de alio Diogeniano Suidae sermonem esse, de alio Hesychio. Fuerunt enim duo huius nominis grammatici, eodem Suida teste, alter Heracleota, alter Cyzicenus." Vix intelligi potest, quo tandem modo homo prudentissimus in his talibus acquiescere, sua persona indignum non iudicarit. Sed accedunt alia, vel magis mira. Adsunt enim e Pamphili lexico fragmenta, a pluribus scriptoribus servata; quae cum Hesychii lexico comparata, quod verum sit, docent. Sed quod maius est, id ut cognoscamus, eadem via progredimur, quam Ruhnkenius iniit ipse et nobis indigitavit. Ut enim contra Valckenarium Hesychium suum defenderet, epistolamque ad Eulogium scriptam vera continere demonstraret: quale attulit argumentum? Ostendit, quidquid ab antiquis grammaticis ex Diogeniani lexico afferatur, ad verbum reperiri in lexico Hesychiano; idque argumentum vocat firmissimum gravissimumque, quo uno, si reliqua abessent omnia, Hesychii de Diogeniano narratio facile dubitatione omni liberaretur. Cur igitur propter Pamphilum non eadem ingressus sit via, vix a quoquam intelligetur.

Nos igitur, ne in idem incidamus vitium, ea quae e Pamphilo traduntur cum iis, quae Hesychius e Diogeniano sumpsit, conferamus, et num inde nonnihil lucis ad hanc quaestionem transferri possit videamus. In ea re nos maxime adiuvabit Athenaeus, qui Pamphili non raro mentionem in-

iecit. Hunc igitur scriptorem primum adeamus. Pamphili librum Suidas inscriptum fuisse ait, *περὶ γλωσσῶν* (*ἤτοι λέξεων*). Eadem ratione Athenaeus pluribus locis *Παμφίλου γλώσσας* citavit. II, 53. b. „*Ὅτι Πάμφιλος ἐν Γλώσσαις μουκηρόβατόν φησι καλεῖσθαι τὸν καρυοκατάκτην ὑπὸ τῶν Λακώνων ἀντὶ τοῦ ἀμυγδαλοκατάκτην· μουκήρους γὰρ Λάκωνες καλοῦσι τὰ ἀμύγδαλα*“, Hesych. „*Μουκηρόβας· καρυοκατάκτης.*“ Quae qui inter se comparat, non potest nisi concedere, cognosci excerpentis manum, eiusque non imprudentis; quanquam signum quoddam, vocem Laconicae dialecti propriam fuisse, merito desideramus. Sed ad Suidae verba probanda praeterea aliud quid accedit in hoc exemplo. Etenim Albertus ad haec verba recte annotavit, T. H. p. 624. „nec alibi ista composita, quod sciam, leguntur.“ Soli igitur Pamphilo debemus, quod hanc vocem Laconicam non ignoramus. Sed exstat scripturae diversitas quaedam, quam intactam relinquere nefas esset; neque abest omnis difficultas. Hesychii quidem „*μουκηρόβας*“ nemo editorum mutavit; sed apud Athenaeum, ubi vox corruptior esse videbatur, *μουκηροβάταν* scribendum esse suspicati sunt Schweighaeuserus ad Athen. vol. I. p. 203. Animm. vol. I. p. 361. et Schneiderus in lexico Graeco; Lobeckius autem in Parergis ad Phrynichum cap. III. §. X. p. 610. „*μουκηροβάκτας*“, eamque scripturam illi in Hesychio quoque reponendam statuerunt. Inter quos Lobeckius doctissimam pronuntiavit sententiam. Quodsi enim Athenaeus „*μουκηρόβατον*“ a voce *βαίνω* descendere putavisset, quo tandem modo dicere potuisset „*ἀντὶ τοῦ ἀμυγδαλοκατάκτην.*“ Is igitur haud dubie alteram vocis partem cum voce *κατάκτης* unum idemque significare credidit, sed rem ut a consilio suo alienam non tetigit. Pamphilus contra haud dubie ultimas quoque vocis syllabas ex Laconico sermone deduxerat; qui alio loco, ut Lobeckius monuit „*βάξον· κάταξον· Λάκωνες*“ habet, quod Kusterus et Albertus praeclare explicaverant. Quanquam autem universe Lobeckio assentior: tamen non totus ab eius coniectura pendeam, qui, accentu

motus, quem uterque scriptor in eadem syllaba retinuit, nominativi formam „μουκηρόβαξ" praetulerim, cuius similes formas Lobeckius ipse p. 611 seq. collegit et diiudicavit. Nos addimus βάβαξ pro βαβάκτης, quae vox oratorem et saltatorem significat, cfr. Hesych. et Albert. ad Hes. I. p. 670. Ruhnken. in Auctar. Emendatt. Ita neque in Hesychio, ubi σ et ξ saepe permutantur, magna et mira foret scripturae corruptela; et apud Athenaeum insolita accusativi forma facile ab imprudentibus librariis deleri potuit. — Prior vocis Laconicae pars „μούκηρος" in Hesychiano lexico loco suo non reperitur, nisi ea in forma, quae non est Laconibus propria, „μύκηρος· ἀμυγδαλή· τινὲς δὲ μῆλα κάρυα." Sed in his quoque eadem Pamphili de notione sententia cernitur. Comparandus autem est alius Athenaei locus, p. 52. c. „Λάκωνας δὲ Σέλευκος ἐν Γλώσσαις φησὶ καλεῖν τὰ μαλακὰ κάρυα μυκήρους· τηνίους δὲ τὰ γλυκέα κάρυα· Ἀμερίας δὲ φησι μύκηρον τὴν ἀμυγδάλην καλεῖσθαι." Dictis enim utriusque scriptoris inter se collatis, scripturam apud Hesychium corruptam „μῆλα κάρυα" ab Salmasio ad Solin. p. 429. b. in „μεγάλα κάρυα" infeliciter, a Casaubono in „μαλακὰ κ." optime fuisse correctam intelligimus. Pamphilus, ut saepe, cum Ameria consensit et loco vocis τινὲς Seleuci nomen posuit; sed utriusque grammatici nomen excerpentis manu sublatum est; qui in hac re sibi non constitit, et alibi Seleuci Ameriaeque nomina saepe retinuit, cfr. Indicem scriptorum ap. Albert. — Sed nimis diu in uno vocabulo commoratus, ad alia me converto; Athen. II, 69. d. „Ἱππώνακτα δὲ τετρακίνην τὴν θρίδακα καλεῖν, Πάμφιλος ἐν Γλώσσαις φησί." Hesych. „τετρακίνη, ἡ ἀγρία θρίδαξ." Nemo alibi vocem „τετρακίνη" repperit, ab Hipponacte, maledicentissimo Ephesiorum iambographo, usurpatam, et, si Clitarchus verum vidit, ex Phrygum dialecto petitam. Non moror enim Schweighaeuseri errorem, qui in Ind. Auctor. p. 159. Hipponactem grammaticum quendam eiusque glossas nominatas esse autumavit; quoniam verba ipsa Athenaei contrarium docent. Quum nemo de Hipponactis glossis ali-

quid audierit, et Schweighaeuserus ipse suo loco eum praetermiserit: fortasse infelici momento cum Hermonacte Hipponactem commutavit. Ceterum poëta Hipponax saepe in Hesychiano lexico nominatur, cfr. Indic. script. Albert. et hac in voce excerptoris inconstantia excidit. Rem autem ipsam, ab utroque grammatico traditam contemplanti mirum erit, quod Athenaeus adiectivum omisit „ἀγρία"; quare Schweighaeuserus apud Athenaeum ἀγρίαν addendum esse, non inepte suspicatus est. Neque tamen ei assentior, quia ab Hesychii excerptore fortasse vox addita est. „Οἱ δὲ ἰατροὶ, ait Helladius ap. Photium, θρίδακα μὲν τὸ ἥμερον λάχανον, θριδακίνην δὲ τὸ ἄγριον καλοῦσιν" ap. Meursium p. 12. et 51., qui fortasse de Galeno loquitur, de compos. medic. sec. loca libr. II. ita rem exponente „Θριδακίνης τῆς ἀκηπεύτου τε καὶ ἀγρίας, ἣν ἰδίως ὀνομάζουσι θριδακίνην" cfr. Lobeck. ad Phrynich. p. 130. Apud Athenaeum nullum huius rei vestigium invenire potui. — Athen. XI. p. 470. d. 'Ἡμίτομος· ἔκπωμά τι παρ' Ἀττικοῖς, ἀπὸ τοῦ σχήματος ὀνομασθὲν, φησὶ Πάμφιλος ἐν Γλώσσαις." Hesychius „Ἡμίτομος· ἔκπωμα." Ut haec sibi optime respondent, quanquam iusto plura ab excerptore omissa sunt, ita nemo praeterea huius poculi, quantum scimus, inter grammaticos meminit. Quare quum haec tria vocabula ex Pamphili glossario laudata sine ulla dubitatione apud Hesychium reperiantur, si quid minus accurate repetitum est, non magno opere offendemur. Athenaeus enim II, 85. c. ubi de voce „κίτριον" agit, haec habet: „Πάμφιλος ἐν ταῖς Γλώσσαις Ῥωμαίους φησὶν αὐτὸ κίτρον καλεῖν." Hesychius autem „Κιτρίον· τὸ Ἰνδικὸν μῆλον"; praeterea nihil. Neque enim nos adiuvat codicis scriptura „κρίτον", cfr. Schweigh. Animm. II. p. 67., quam malam esse ipse Romanorum usus ostendit, cfr. Plin. Natur. Hist. l. XIII. c. 16 fin. Quare haec quidem, si verum est iudicium meum, Diogenianus omisit, fortasse, quia, ut μουκηρός Laconum, non suo loco positum, sic s. v. κιτρίον allatum et explicatum erat. Neque id mirandum est, aut meae sententiae adversatur, quia alibi quoque in vocabu-

lorum interpretatione multa praetermisit excerptor, idque coactus, si res a Pamphilo collectas minori volumine comprehendere volebat. Ceterum quaecunque Athenaeus ex libro Pamphili „περὶ γλωσσῶν“ hactenus citavit, omnia sunt ex diversis Graecae linguae dialectis, Attica et Laconica; ex poëta, Hipponacte, Romanorumque lingua petita. Titulus igitur bene respondet vocabuli notioni, qualem praeter alios Galenus exposuit, in Ἐξηγήσει τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν, p. 408. ed. Franz.

Praeterea Athenaeus Pamphilum laudat in libro „περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων,“ quem eundem esse patet ex ipsa vocabulorum notione et repetitione vocis „γλῶσσαι.“ Frustra igitur Schweighaeuserus in indice auctorum id se nescire confessus est. Accedet autem ex ipsa mea commentatione argumentum non tenue. Nam Athen. XIV, p. 650. e. „Πάμφ. ἐν τοῖς περὶ Γλωσσῶν (ita recte pro Γλώσσης scripsit Schweigh.) κ. Ὀνομ. „Ἐπιμηλὶς, φησὶν, ἀπίου γένος“, Hesychius „Ἐπιμηλίς· κόρκη καὶ ἀπίου γένος“. Eandem rem idem Athenaeus alibi paullo aliter protulit III, 82. d. „Ἐπιμηλὶς δὲ καλεῖται. φησὶ Πάμφιλος, τῶν ἀπίων τι γένος“, quibus in verbis Epitomator Athenaei τῶν ante ἀπίων ignorat, notante Schweigh. Animm. II, p. 54. Athenaeus igitur, ubi simul libri titulum nominabat, verba accuratius attulit, nisi duobus locis Pamphilus de vocabuli notione disputavit. Quocunque modo id diiudicamus, habemus in his interpretationem Pamphili propriam, qua ille a reliquis hominibus dissidebat; cfr. Galen. l. l. p. 426. et 472. et Schneider. in lex. s. v. ἀμαμηλίς. Notionem eiusdem vocabuli ab hac maxime diversam Phrynichus memoravit in Σοφιστ. Προπαρασκ. p. 17, 8. in Anecdd. Bekk. I. — Athen. IX, p. 388. d. „Ἀρτεμίδωρος δὲ ὁ Ἀριστοφάνειος ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις Ὀψαρτυτικαῖς γλώσσαις καὶ Πάμφιλος ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τοῖς περὶ Ὀνομάτων καὶ Γλωσσῶν Ἐπαίνετον παρατίθεται λέγοντα ἐν τῷ Ὀψαρτυτικῷ, ὅτι ὁ φασιανὸς ὄρνις τατύρας καλεῖται“. Hesychius „Τατύρας ὁ φασιανὸς ὄρνις“. Huius vocis Persicae, cfr. Albert.

II, p. 1852., praeter Hesychium et Athenaeum nemo meminit ex scriptoribus, qui aetatem tulerunt. Ceterum fortasse omnia Athenaeus ex Pamphilo hausit, quum Epaenetum in Hesychio laudatum reperiamus s. v. τηλλακτον, Artemidorum s. v. κνηστός et alibi, Pamphilus igitur utroque usus sit, quum suum librum concinnaret, cfr. Valck. in Theocritt. p. 295.

His explicatis, si quando Pamphilus περὶ Ὀνομάτων, omissis verbis „περὶ γλωσσῶν" laudatur, eundem significari librum credendum erit. Id autem factum est apud Athenaeum quinquies, XV, p. 677. b. „Θεόδωρος δ' ἐν ταῖς Ἀττικαῖς φωναῖς, ὥς φησι Πάμφ. ἐν τοῖς περὶ Ὀνομ., πλοκῆς στεφάνων γένος τι τὴν ὑπογλωττίδα φησί". Hesych. „Ὑπογλωττίς· εἶδος στεφάνου," sed ex Musuri correctione. Cod. Ὑπογλωττός cett. Miraremur, πλοκῆς omissum esse, nisi alius Athenaei locus optime, cur et quomodo id factum sit, doceret. Paullo post enim p. 678 d. idem vocabulum tangit, hisque explicat verbis „καὶ ὑπογλωττὶς δὲ στεφάνου ἐστὶν εἶδος, Θεόδωρος δ' ἐν ταῖς Ἀττικαῖς γλώσσαις στεφάνων πλοκῆς γένος παρὰ Πλάτωνι ἐν Διὶ κακουμένῳ:" Quis est enim, qui dubitet, quin Athenaeus haec omnia, Pamphili nomine omisso, ex eius lexico hauserit? noster autem Epitomator, Diogenianus Pamphili ipsius sententiam retinuerit, Theodori verba omiserit? Quod si verum est, ut verissimum esse mihi persuadeo, nullus est locus, ex quo tam aperte eluceat, quem Athenaeus modum in citandis scriptoribus teneat. Primum enim p. 677. locum Platonis posuerat; deinde Theodorum et Pamphilum nominabat, ex quibus illum ipsum locum acceperat; denique ve tota repetita Pamphili nomen omnino praeterit. Ceterum aliunde hoc nomen non est notum. — Athen. VIII, 360. b. „Κορωνισταὶ δὲ ἐκαλοῦντο οἱ τῇ κορώνῃ ἀγείροντες, ὥς Πάμφ. ὁ Ἀλεξ. ἐν τοῖς περὶ Ὀνομ. καὶ τὰ ᾀδόμενα δὲ ὑπ' αὐτῶν κορωνίσματα καλεῖται, ὥς ἱστορεῖ Ἁγνοκλῆς ὁ Ῥόδιος" Hesych. „Κορωνισταί· οἱ τῇ κορώνῃ ἀγείροντες καὶ ᾀδόμενα ὑπ'

αὐτῶν κορωνίσματα". Bene animadvertendum est, hoc lyricae poësis genus praeterea a nullo commemoratum esse scriptore, qui nostram aetatem attigit. Quae enim in commentariis ad Odysseam apud Eustathium legimus, ad φ. 411. p. 1914, 42. seqq. ea ex Athenaeo hausta esse, ipse confitetur auctor „ἄλλοι δὲ τινὲς ἐκαλοῦντο κορωνισταί, οἷα τῇ κορώνῃ τῷ ζώῳ ἀγείροντες καὶ τὰ ὑπ' αὐτῶν ᾀδόμενα κορωνίσματα ἐλέγοντο· ὧν καὶ ἐκτίθεταί τινα ὁ δειπνοσοφιστής." Rem totam igitur Pamphilo debemus. Et hoc ipsum signum est rationis, quam Athenaeus in fontibus suis detegendis sequitur. Ubique enim cupidinem expressam videmus, scriptorum nubem producendi doctrinaeque ostentandi copiam, qua si caruisset, ad Pamphilum rettulisset omnia, neque ad Hagnoclem provocasset, cuius librum non ipse viderat, sed magno illius lexico cognoverat. Non est autem mirum, quod ignotum viri nomen, cuius de scriptura adeo certari potest, Diogenianus praetermisit, quum Athenaei epitomator id ipsum fecerit, cfr. Schweigh. Animm. IV, p. 658. Denique scripturae diversitatem, quae est inter Athenaei et Hesychii codices, non tacendam esse duco; qua ille ᾀδόμενα praebet, hic διδόμενα. Critici in diversas partes abeunt; quorum Heinsius et Is. Vossius Athenaeum, Martinus et Schweighaeuserus Hesychium emendandum censuerunt; Schweigh. Animm. IV, p. 658, Albert. II, p. 326. Perspicuum est, ΔΙΔ. et ΑΙΔ. facile a librariis commutari potuisse. Magni autem momenti est, quod Eustathius apud Athenaeum ᾀδόμενα legit, et addidit, „ὧν καὶ ἐκτίθεταί τινα" cett., quod sine dubio ad id pertinet carmen, quod e Phoenice Colophonio ibi descriptum est. Deinde si Vossius διδόμενα oracula significare contendit, eandem notionem vox ᾀδόμενα praebet; quam tamen equidem, quia preces magis, ut aliquid acciperent, quam vota et oracula prodebant, hac in re non admiserim. Suum negotium, qui apud Phoenicem canunt, ita describunt

Ἐγὼ δ' ὅκου πόδες φέρουσιν ὀφθαλμοὺς

ἀμείβομαι Μούσαισι πρὸς θύραις ᾄδων
καὶ δόντι καὶ μὴ δόντι —.

Quare tam corrupto Hesychii codici non obsequar. Non illepida quidem, sed nisi fallor, minus vera est Casauboni sententia, „Cornicem videlicet circumferebant agyrtae illi, doctam (ut videtur) conari nostra verba“; Schweigh. l. l. p. 652. Lusciniae enim commemoratio in simili lusu eam redarguit. Postremo addo, Musurum Hesychii verba corr務xisse et pro *ἀγείροντες* male *ἐγείροντες* scripsisse, Schow. Supplem. p. 459., quam coniecturam typotheta, non raro Musuro doctior, merito neglexit.

Duobus igitur in locis quum nulla extet difficultas, in tribus reliquis minus clare apparet sententiae nostrae veritas, Athen. III, 89. d. „*Αἱ δὲ πίνναι ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βυθοῦ· ἔχουσί τε ἐν αὐταῖς τὸν πιννοφύλακα, αἱ μὲν καρίδιον, αἱ δὲ καρκίνιον· οὗ στερόμεναι θᾶττον διαφθείρονται. Τοῦτο δὲ Πάμφ. ὁ Ἀλεξ. ἐν τοῖς περὶ Ὀνομ. συμπεφυκέναι φησὶν αὐταῖς*“. Hesychius „*Πίνα· εἶδος ἰχθύος καὶ ὀστρεῶδες κογχύλιον.*“ Licet autem ab Hesychio absit, quod in Pamphili libro expositum erat, videmus tamen, cur ea epitomator praetermittere potuerit. Neque id contra nos pugnat, quod *πίννα* duplici *ν* apud Athenaeum, simplici apud Hesychium scribitur, quia Athenaeus hoc in loco de vocis scriptura non disputat. Comparandus tamen praeterea alius Hesychii locus „*Πινοτήρης, πινοφύλαξ λεγόμενος· πῖνος δὲ εἶδος ὀστρέου*“, quem Musurus emendationibus suis, ut saepe, corrupit. Codicis enim scriptura, quae ut ex litterarum serie intelligitur, eadem est lexicographi, simplicem litteram *ν* tuetur, ut Pamphilus idem cum Artemidoro senserit, II, 14. p. 103. Deinde in fine posuit „*πίννα δ'*“ pro *πίνο δ'* quod habet codex, et Schowius Supplem. p. 644. e *πίνος δ'* corruptum esse credidit. Affirmare equidem non dubito, primum Pamphili et Artemidori scripturam veram esse, et mala duntaxat Graecorum seriorum pronuntiatione, quae longam vocalem saepe consonantium

duplicatione compensat, corruptam: idque quia κίνα a κῖνος descendit, propter colorem denominata; deinde Schowii coniecturam, κίνος δ' dummodo accentu mutato κῖνος scribimus, unice veram esse: quia πινοτήρης masculinum κῖνος requirit. Accentus autem, quem alibi negligere nefas esset, hoc loco nos non offendit, quia brevi ante suo loco κίνος pro κῖνος scriptum legitur; et universe de eo ambigitur. cfr. Alberti. ad Hesych. I. p. 452., ubi recte Hesychii codex κῖνος dedit, et ad II. p. 962. Schneiderus in lexico s. v. Bekkerus in Anecdd. Grr. I. p. 22, 11. κῖνος recte dederunt. Cursim moneo, in Etymologico Magno p. 395, 4. foedum vitium hucusque omnium oculos effugisse, ubi haec leguntur „Εὐκινής· εὐειδής· κίνος γὰρ τὸ ὕδωρ." Nam Sylburgius frustra rem tetigit „εὐειδὴς ferri potest, sed potest etiam legi εὐϋδὴς propter aetiologiam, quae sequitur, ut sit bellas aquas tenens." Emendationem non diu quaerimus, quoniam in Etymol. Gud. haec leguntur „εὐκινής· εὐειδής· κῖνος γὰρ τὸ εἶδος" quibus in verbis omnia cohaerent, ac simul accentus corrigitur. Ceterum de Pamphili opinione, ab Athenaeo tradita, quid dicam non habeo. Paullo post eam iterum tetigit „φασὶ δέ τινες καὶ συγγενᾶσθαι αὐτὰ αὐτοῖς καὶ ὡς ἂν ἐξ ἑνὸς σπέρματος γίνεσθαι." Inter diversas sententias, quae a scholiastis ad Ar. Vespas v. 1501. proferuntur, ea quoque apparet, quam Pamphilo placuisse Athenaeus retulit. confr. quae Anonymus doctissimus in Animm. ad Etym. M. congessit, p. 1008. ed. Sturz. —

Athen. III, p. 121, b. „Οἱ δὲ λεγόμενοι μελανδρύαι, ὧν καὶ Ἐπίχαρμος μνημονεύει, ἐν Αὐτομόλῳ Ὀδυσσεῖ οὕτως· Ποτιφόριμον τὸ τέμαχος ἦν τὸ ὑπομελανδρυῶδες· μελάνδρυς δὲ τῶν μεγίστων θύννων εἶδός ἐστιν, ὡς Πάμφιλος ἐν τῷ περὶ Ὀνομάτων παρίστησι· καὶ ἔστι τὰ τεμάχη αὐτοῦ λιπαρώτερα". Res ipsa frustra in Hesychiano lexico quaeritur. Repperi sequentia: „Ὑπομαλανδρυῶδες· εἶδος τι ταρίχου" ubi Albert. recte „an ὑπομελανδρυῶδες." Dein „Μέλαν δρυός· ἡ ἐν τοῖς δένδροις δασύτης καὶ ἡ τῶν ξύλων ἐντεριώνη" „Τὸ μελάνδρυος·

τὸ μέσον τοῦ ξύλου, διὰ τὸ εἶναι εὔτονον τοῦτο τὸ μέρος· ἄλλοι δὲ διαστείλαντες τὸ Μέλαν δρυός εἰς δύο μέρη τοῦ λόγου ἀποδεδώκασι τὸ μέσον τῆς δρυὸς μέρος μέλαν εἶναι καὶ ἄσηπτον διαμένειν" quae nil nisi locum, ubi a Pamphilo dictum, ab Diogeniano omissum est, indicare possunt.

Athen. XI, 472, 1. „Ἴσθμιον· Πάμφ. ἐν τοῖς περὶ Ὀνομ. Κυπρίους τὸ ποτήριον οὕτως καλεῖν." In Hesychio talis Cyprici poculi nullum inveni vestigium, cfr. v. Ἴσθμιον, Εἰσθμὸς, Παρίσθμια, Εἰρίθμη et similia. Eustathius ad Odysseam p. 1847, 50. „ὅθεν καὶ κόσμος παρίσθμιος, καὶ ποτήριον δέ φασι Κύπριον ἐκαλεῖτο ἴσθμιον." Nihil igitur superest, nisi ut sumamus, eam posteriorem notionem a Diogeniano praetermissam esse: quanquam quo id factum sit consilio, nescimus.

His expositis, Pamphilum aut magno libro suo simplicem inscriptionem „περὶ γλωσσῶν" dedisse intelligimus, quam Athenaeus et additis his vocabulis „περὶ ὀνομάτων" auxit, et, omisso vero titulo, in hanc ipsam mutavit: aut ea ipsa coniunxisse „περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων"; quod vel magis crediderim. Ita enim Athenaeus pro arbitrio suo modo coniungere utrumque, modo alterum praeferre poterat. Praeterea autem Athenaeus non raro Pamphili meminit, libri inscriptione non addita. Quod ubi factum est, alium eiusdem hominis librum significare potest, sed quia hunc unum nominatum reperimus, suspicionem nasci videmus, pleraque certe, si non omnia, ex hoc hausta esse. Necessarium est igitur, ea quoque addere et cum Hesychiano libro comparare. Athen. III, 82, d. „Ἑσπερίδων δὲ μήλων οὕτως καλεῖσθαί τινα, φησὶ Τιμαχίδας ἐν τῷ τετάρτῳ τοῦ δείπνου. καὶ ἐν Λακεδαίμονι δὲ παρατίθεσθαι τοῖς θεοῖς φησι Πάμφιλος ταῦτα· εὔοσμα δὲ εἶναι καὶ ἄβρωτα, καλεῖσθαι δ' Ἑσπερίδων μῆλα" Hesychius „Ἑσπερίδων μῆλα· ἐν Λακεδαιμονίᾳ βρωτά τινα μῆλα" quibus in verbis Casaubonus et post eum plerique recte scripserunt „ἐν Λακεδαίμονι ἄβρωτα" quae est lenissima mutatio. Solus Bodaeus

a Stapel ad Theophr. H. Plant. l. IV, p. 338. ex Hesychio Athenaeum corrigere conatus est. — Athen. VII, 326, e „καὶ πέμμα δέ τι τευθίδα ὀνομάζειν Ἱεροκλέα ἐν Ἀρτοποιϊκῷ φ. Πάμφ." Hesych. „τευθίς· πέμμα πλακουντῶδες" Athen. XIV, 658. „οἶδα δὲ καὶ Πάμφιλον εἰρηκότα πρόκνιδας γένος ἰσχάδων" Hesych. „Πρόκνις· γένος ἰσχνάδων·" Athen. XV, 678, a „Πυλέων· οὕτως καλεῖται ὁ στέφανος, ὃν τῇ Ἥρᾳ περιτιθέασιν οἱ Λάκωνες, ὥς φησι Πάμφ." Hesych. „Πυλέων, στεφάνων" „Πυλὼν στέφανος" Athen. XI, 475, c. „Κάλπιον· ποτηρίου τι γένος Ἐρυθραῖον, ὥς φησι Πάμφ." Hesych. „Κάλπιον· ποτηρίου εἶδος" Athen. ib. d. „Κελέβη· Πάμφ. δὲ τὸ ποτήριον θερμοποτίδα καλουμένην τὴν κελέβην εἶναι" Hesych. „Κελέβη· ποτηρίου εἶδος θερμηρόδ." In cod. scriptum erat „κελεύη" quod bene correxit Musurus, Schow. Supplem. p. 431. Athen. ib. p. 478. c. „Κότυλος. Πάμφ. δὲ ποτηρίου φησὶν εἶναι γένος, ἴδιον δ' εἶναι Διονύσου" Hesych. „Κοτυλίσκος· κρατηρίσκος, ᾧ χρῶνται οἱ μύσται" Athen. 479, a. „Διόδωρος δὲ ἐν Ἰταλικαῖς γλώσσαις καὶ Ἡράκλειτος, ὥς φησι Πάμφ. τὴν κοτύλην καλεῖσθαι καὶ ἡμίναν, παρατιθέμενος Ἐπιχάρμου — καὶ Σώφρονος" Hesychius „Ἡμίνα· κοτύλη" „Ἰμίνα ἢ Ἡμίνα· χοῖνιξ ἢ κοτύλη" Cod. „Ἰμία, χύνιξ [ἰμίνη] κοτύλη" cfr. Schow. Supplem. p. 379, not. Ib. p. 487, c. Πάμφιλός φησι Παφίους τὸ ποτήριον οὕτω καλεῖν" ubi de voce Μαστός agit. Hesych. „Μαστός· ποτήριον ἢ λίθος" Ib. „Μαθαλίδες. Πάμφ. δέ φησι· Μή ποτε ἐκπώματός ἐστιν εἶδος ἢ μέτρον, οἷον κύαθος" Hesych. „Μαθαλίδες ἐκπώματά τινα· οἱ δὲ μέτρα, ὡς κύαθοι" Athen. ib. p. 494, f. „Οἰνιστήρια· Οἱ μέλλοντες ἀποκείρειν τὸν σκόλλον ἔφηβοι, φ. Πάμφ., εἰςφέρουσι τῷ Ἡρακλεῖ μέγα ποτήριον, πληρώσαντα οἴνου, ὃ καλοῦσιν οἰνιστηρίαν καὶ σπείσαντες τοῖς συνελθοῦσι διδόασι πιεῖν" Hesych. „Οἰνιστήρια Ἀθήνησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρασθαι τὸν μαλλὸν, εἰςέφερεν Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνου καὶ σπείσαντες τοῖς συνελθοῦσιν ἐπεδίδουν πίνειν·

ἡ δὲ σπονδὴ ἐκαλεῖτο Οἰνιστήρια." Quae inter utrumque in singulis verbis differentia est, ea ostendit aperte, quomodo Athenaeus in afferenda scriptorum sententia versatus fuerit. Ut omnia intelligantur, conferatur Hesychius s. v. „Ἱερόβατον κόνον· Λάκωνες· ὃν τινες μᾶλλον σκόλλυν," ubi recte corrigunt „μαλλὸν ἢ σκόλλυν" et s. v. „Μαλλός· τὸ ἔριον καὶ ἡ καθειμένη κόμη — ὁ κέκριξ καὶ σκόλλυς" et s. v. „Σκόλλυς" et alibi — Athen. ib. p. 496, a. „πλημοχόη· σκεῦος κεραμεοῦν βεμβικῶδες ἑδραῖον ἡσυχῇ· ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προςαγορεύουσιν, ὥς φ. Πάμφ. χρῶνται δὲ αὐτῷ ἐν Ἐλευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων" Hesych. „Πλημοχόη — τῇ ὑστεραίᾳ ἡμέρᾳ τῶν μυστηρίων κοτυλίσκους πληροῦσιν, οὓς καλοῦσι πλημοχόας" — Ath. Ib. 502, b. „φιλοτησία· κύλιξ τις, ἣν κατὰ φιλίαν προὔπινον, ὥς φ. Πάμφ." Hesych. „φιλοτησία· πρόποσίς τις μετὰ τὸ δεῖπνον ὑπὲρ φιλίας."

Quae quidem voces omnes quum nullam difficultatem moveant, aliis magis impedimur. Ac primum quidem quoniam in poculorum nominibus enumerandis versamur, ea adeamus, quae ex eorum numero apud Hesychium frustra quaeruntur. Sed praefari pauca, e re erit nostra. Nam Athenaei δειπνοσοφιστῶν liber undecimus fere usque ad finem Plutarchi cuiusdam enarrationem de poculis comprehendit, p. 460 – 504, quorum caussa mature prompteque convenisse sese convivae confitentur. Praemissis igitur rebus nonnullis scitu dignissimis, poculorum varia nomina ex litterarum serie enumeravit, p. 782 seqq. Iam quum apud veteres litterarum series diversis modis tractetur, aliis primas tantum litteras observantibus, aliis secundas quoque et tertias sequentesque non negligentibus; quam Athenaeus secutus sit rationem, quaeritur. Quam quidem quaestionem, qui hactenus rem tetigerunt, ne proposuerunt quidem; ut verisimile est, quia exemplis quibusdam turbati, primas tantummodo litteras curatas esse censuerunt. Neque propterea eos reprehenderim. Sed si accuratius poculorum nomina contemplamur, quanquam interdum ordinem neglectum esse

perspicimus, saepius tamen secundas quoque et sequentes litteras non praeteritas esse, cernimus. In littera γ enim recte sese excipiunt, γραμματικὸν ἔκπωμα et γύαλα, in ε ἐλέφας et ἔφηβος, in σ σαννάκρα, σελευκὶς, σκάλλιον, σκύφος, in τ, ταβαῖτας, τραγέλαφος, τριήρης. In multis aliis ordo relinquitur quidem, sed semper ita, ut interposita tantum nonnulla appareant, vel in fine addita, reliqua autem iustum ordinem efficiant. Comparemus Κάππα, in qua haec sese excipiunt nomina „κάδος, καδίσκος, κάνθαρος, καρχήσιον, κάλπιον, κελέβη, κέρας, κέρνος, κισσύβιον, κιβώριον, κόνδυ, κονώνιος, κότυλος, κοτύλη, κοτταβίς, κρατάνιον, κρουνεῖα, κναθὶς, κυμβία, κύπελλον, κύμβη, κώθων." Videmus aperte, secundam litteram semper, tertiam non raro observatam esse. Sequitur Λάμβδα· λαβρωνία, λάκαιναι, λεπασταὶ, λοιβάσιον, λέσβιον, λουτήριον, λυκιουργεῖς· in quibus solum λοιβάσιον ordinem laedit. Magis inversus est ordo in M. „Μέλη, Μετάνιπτρον, Μαστὸς, Μαθαλίδες, Μάνης" sed si με et μα alium in locum transponimus, in reliquis secundae litterae non sunt neglectae. Addamus βῆτα „βατιάκιον, βῆσσα, βαύκαλις, βῖκος, βομβυλιός, βρομιάδες" in quibus, praeter vocem βῆσσα interpositam omnia quadrant. Reliqua, ne nimis multa producamus, praetermittimus; idque eo lubentius quia nonnulla, si de singulis loquimur, tractabuntur. Iam nunc enim, ut credo, apparuit, ab initio ex iusto ordine, scriptorem nomina enumerare voluisse, postea tamen nescio quibus de caussis, in singulis suo sibi in consilio non stetisse.

His praemissis ad Pamphilum redeamus. Sub littera A poculorum meminit Athenaeus hoc ordine, „ἀγκύλη, αἰακίς, ἄκατος, ἄωτον, ἄροκλον, ἄλεισον, Ἀμαλθείας κέρας, ἄμφωτις, ἄμυστις, ἀντιγονίς, ἀναφαία, ἀρύβαλλος, ἀργυρίς" quibus omnibus in vocibus iustus ordo observatus est in secunda littera, duabus exceptis, „ἄωτον et ἄροκλον." Num igitur in his quoque, ut alibi, ipse Athenaeus, interpositis alieno loco nominibus ordinem neglexisse

putandus est? Non credo; quia utrumque vocabulum aliis quoque de caussis suspicionem movet. Loquar primum, quia magis huc pertinet, de voce *ἄωτον*, de qua ita disputat Athenaeus „*Ἄωτον· παρὰ Κυπρίοις τὸ ἔκπωμα ὡς Πάμφιλος· Φιλήτας δὲ ποτήριον οὖς οὐκ ἔχον.*“ Eodem modo eadem legit Eustathius, qui ad Hom. Odyss. I, v. 444, p. 1429, 21, haec exhibet „*ἐν δὲ τοῖς Ἀθηναίου εὕρηται καὶ ποτήριον ἄωτον, ἤτοι τὸ οὖς οὐκ ἔχον.*“ Is autem solam Epitomen, ut notum est, habuit, quae ipsa, magna operis parte omissa, nobis quoque sola restat, et non raro est ab Epitomatore miros in errores abreptus, cfr. Schweigh. praef. in Athen. p. XIX — XXIII. Apud Hesychium tale poculum non reperitur. Ait „*Ἄωτον· ἔριον ἄνθος*“ „*Ἄωτοι· ὦτα μὴ ἔχοντες*“ „*Ἀώτου θεσπεσίοιο, ἐρίου θείου· ἄωτον γὰρ τὸ ἄνθος*“ „*Ἄωτος· τὸ ἄνθος ἀρσενικῶς, ἢ μὴ ἔχων ὦτα.*“ Neque alibi occurrit. *Ἄμφωτον* nominat Pollux cum Athenaeo et Hesychio, VI. 96; addit adiectivum *μόνωτον*, sed nihil refert de poculo „*ἄωτον*“ nominato. Frustra denique in prima Hesychianarum glossarum Brun. pro *ἔριον ποτήριον* coniecit, cfr. Albert. ad Hes. vol. I, p. 670. Me igitur, qui videam, quae de poculo dicta erant, a Diogeniano omitti potuisse, neque ignorem propter alia exempla, non satis certam esse sollicitandae scripturae rationem, si elementorum ordinem non servatum reperimus, denique bene perspiciam, alia quoque in nullo alio libro dicta ab Athenaeo doceri, me inquam coniectura quaedam cepit, fortasse paullo audacior aliis visura, qua omnia incommoda nisi fallor tolluntur. Dicam, quod sentio. Elementorum ordo iustus esset, si inter *ἄκατος* et *ἄλεισον* legeretur *ἀλαβά*. Qua quidem voce loco nominis „*ἄωτον*,“ reposita, aptissima esset Philetae sententia, qua vox in duas partes scinditur, *ἀ* et *λαβά* et significat id, quod manu capi non potest, vel, quod idem est, quod ansis non instructum est. Quid autem de Pamphili interpretatione dicam? quum nemo ne hoc quidem poculi nomen noverit. Iam primum bene tenendum est, Athenaeum articulo usum

esse „παρὰ Κυπρίοις, τὸ ἔκπωμα." Quid enim aliud inde quam Cyprios vocem ἔκπωμα ignorasse, et pro ea „ἀλαβά" dixisse, sequitur? Non igitur unum aliquod poculi genus habemus, ab reliquis diversum, sed vocabulum Cypriorum. Haec est opinionum Pamphili et Philetae differentia, quam nemo nostratium accurate intellexit, dum Eustathius aperte Philetae favet, non Pamphilo. Adeamus igitur Hesychium, apud quem vestigia eorum, quae Pamphilus dixit, nos reperturos esse sperare possumus; nisi forte codicis nostri corruptelae spem eludunt. Ac iam primum nos advertit haec glossa: Ἄλα, θάλασσαν, ἢ οἶνος, Κύπριοι. Discimus enim, ἅλα non accusativum solum esse, quod ipsum postea iterum explicatur, ubi de vocibus ἅλαδε, ἅλα δῖαν sermo instituitur, sed etiam nominativum Cypriae vocis. Disputari tamen potest de alterius vocis spiritu. Ea enim est Hesychiani lexici ratio, iam diu criticis nota, ut, spiritu neglecto, duas apponat notiones diversas, quarum altera ad spiritum asperum, quem vocant, altera ad lenem pertinet; cfr. Albert. ad Hesych. I, p. 4, in fine not. 6 et alibi saepe. Quare hac via equidem de spiritu nihil discernam. Sed ut ad rem redeamus, nonne id maxime memorabile est et nos ad vini poculum rapit quodammodo, cuius nomen ab hoc deductum sit apud Cyprios? At vocem ἅλα excipit, „ἀλαβά· μέλαν, ᾧ γράφομεν." Quare si quid video Alberti suspicio non inepta est, qui, I, p. 215, priorem vocem huc pertinere coniicit, ut significet „αἴθοπα οἶνον." Deinde vero non praetereunda sunt, quae sequuntur „Ἀλαβή· λιγνύς· σποδὸς καρκῖνος Κυπρίων μαρίλη. Ἀλάβη· ἄνθρακες" quae editores omnes in magnam difficultatum molem coniecerunt. In Alberti nota ad hunc locum interpretandum scripta coniecturarum satis amplam copiam, certi vero nihil reperimus. Idcirco in hoc vocabulo inprimis Schowio gratiam habendam esse intelligimus, qui totum codicem summa diligentia evolvit, et haecce repperit, cfr. Supplem. p. 50. „Ἀλαβή· λιγνὺς, σποδὸς, καρκῖνος· ὑπὸ δὲ Κυπρίων μαρίλη·" in quibus verba ὑπὸ δὲ typo-

thetae incuria omissa sunt; nunc autem addita multas coniecturas tollunt. Comperta igitur codicis scriptura quid illud sit, quod affert, accurate contemplemur necesse est. Ac primae quidem voces quid sibi velint, λιγνὺς et σποδὸς, omnibus notum est, et ab ipso Hesychio explicatur. Deinde codex habet „καρκῖνος". Musurus accentum mutavit, scripsitque καρκίνος; Pergerus coniecit κορακῖνος, Schrevelius ἀνθρακίνος; Albertus de Carcino poëta cogitávit; nos autem ab omni coniectura, quae in his rebus tam facilis quam inutilis est et lubrica, lubentissime abstinemus. Est enim, si quid video, καρκῖνος instrumentum aliquod, de quo Hesychius agit vol. I, p. 1701. s. v. Θερμαστρίς, quam ita explicat „σκεῦος παραπλήσιον καρκίνῳ, ᾧ χρῶνται οἱ χρυσοχόοι" quod ut Hemsterhusius vidit, ad Polluc. X, 66. (vol. II, p. 1227.) ad aurum liquefaciendum usurpatum est. De eadem notione huius vocabuli Hesychius sub ipsa voce καρκῖνος locutus erat, vol. II, p. 151, ubi nunc corrupte legitur „καὶ τῇ πάργυρος." Recte enim Albertus „καὶ ἡ πυράγρα" scribendum esse iudicavit, quae interpretatio apud Photium p. 114, 10. ed. Lips. exstat. Ceterum apertissimum mihi videtur esse, quo modo haec vocis notio cum praecedentibus cohaereat. Denique quaerendum est de sequentibus „ὑπὸ δὲ Κυπρίων μαρίλη." Albertus de vocabuli notione non dubitavit, provocavitque ad Hesychium et ad prima Scaligerana, p. 98, ubi discrimen inter λιγνὺς et μαρίλη doceretur. Sed nisi fallor, nihil est in hanc rem aptius, quam quod Galenus ait in Exposit. vocc. Hippocratt. s. v. „Μέλαν τὸ Κύπριον." „τὴν Κυπρίαν σποδὸν, ᾗ πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς χρώμεθα" quibus ille Hippocrat. interpretatur περὶ γυν. I, p. 243. 40. Quae si vera sunt, locus qui, antea tam difficilis esse videbatur, ut Henr. Stephanus, se nescire, quid sibi vellet Hesychius confiteretur, Albertusque post multa verba se Davum esse diceret, non Oedipum, solius codicis Venetiani ope facile sanatus et apertus est. Nobis autem inde nihil adiumenti ad nostram coniecturam provenit. Quare in superioribus illis

acquiescimus; quibuscum Galeni dictum bene coniungitur; quanquam certam poculi, *ἀλαβά* vel *ἀλαβή* dicti, commemorationem non reperio, vestigiis eius, quibus insistere possim, inventis contentus. Quaeri autem potest, qui apud Athenaeum tantum vitium ortum sit, ut pro *ἀλαβά* scriberetur *ἄωτον*. Ego vero non dubitem contendere; epitomatorem, qui Athenaei exemplum pessimum descripsit, et saepe id confitetur, „*τὰ δ' ἄλλα*" dicens, „*οὐκ ἦν διαγνῶναι*," aut „*τοῦτο ἐπεὶ ἔσφαλται, οὐ μετέγραψα*" cfr. Schweigh. praef. ad Athen. vol. I, p. XXII; fortasse hoc quoque nomen oculis non discernere potuisse, et „*ἄωτον*" recepisse, quod Philetae interpretatio postulare videbatur. Quanquam aliae quoque corruptionis caussae facile proponuntur.

Prorsus diversa notio vocis „*ἄλα*" sive „*ἅλα*" in lexico exstat, a Bekkero in Anecdotis edito, I, p. 374. „*Ἄλα· θάλασσαν ἢ τὰς τῶν ὀνύχων ὀξύτητας*" quam fortasse aliquis „*οἶνος*" in „*ὄνυξ*" mutato in Hesychium invehere malit. At non mirum est, quod „*ἄλα*" de vino usurpatur *αἴθοπι*, si reliqua omnia comparamus, ad nigredinem referenda. Eodem enim modo *οἶνος καπνίας* Athenaeo I. p. 31. f commemoratur. Hesychius autem paullo post ait „*ἀλαβῶδες· ἀνδρακῶδες· κεκαπνισμένον*." Atque ipsum nomen maris, *ἡ ἅλς*, quod solet ab sale deduci, fortasse eadem ratione ab initio nihil de sale continebat, sed ad solum maris colorem referebatur. „*Ἅλς*" ait Etymologus, p. 71, 3, *ἡ θάλασσα, παρὰ τὸ ἁλὲς τὸ συνεστραμμένον καὶ ἠθροισμένον· ἢ ἀπὸ τοῦ ἅλις καὶ τοῦ ἁλεὶς τὸ συστραφείς· ἅλς οὖν τὸ συνεστραμμένον καὶ συνηθροισμένον ὕδωρ.*" Quae ne pro meris commentis grammatici habeas et contemnas, attendendum erit ad Hippocratis usum, quem Galenus explanat, p. 422. ed. Franz. „*ἅλιον ὕδωρ· τὸ ἠθροισμένον ἐξ ὄμβρου ἀθρόου.*" In his igitur quum nihil de sale dicatur, dicive possit: non inepte credo ad colorem aquae collectae animum advertimus. Vox *ἀλαβὰ* non apud Cyprios solum, sed ubique *atramentum* signifi-

cat. Munus enim Alabarchis, vel ut Cuiacius explicavit, magister scripturae, i. e. vectigalium praefectus, erat apud Aegyptios cfr. Forcell. lex. lat. s. v. Arabarches; Schneider. lex. Graec. s. v. *ἀλαβάρχης*. Ita igitur poculum quoque apud Cyprios, vino illo repletum *αἴθοπι ἀλαβά* vel *ἀλαβή* nominari potuit.

Sed tempus est, ut ab hoc argumento lubrico, in quo nimis diu versati sumus, tandem discedamus. Restat autem, quod iam tetigimus „*ἄροκλον*," de quo Casaubonus ap. Schweigh. vol. VI, p. 57. „Vix videtur vere Graecum vocabulum. Eadem tamen omnia totidem litteris in utroque Excerptorum libro." Equidem „*ἀλάβαστρον*" eius loco ponendum esse suspicor. Nam Gloss. Mss. Codicis Evangel. Coislin. CXVI. „*Ἀλάβαστρον· ἀγγεῖον στενόμηκες πρὸς πολυποσίαν ἐπιτήδειον τερπνὸν, ὡς ἱστορεῖ Κλήμης ἐν Στρώμασιν.*" Sed in Paedagogo id Clemens dixit II, 2, p. 186. (p. 158. ed. Sylb. Colon. a. 1688.) „*αἱ δὲ γυναῖκες τὸ αἴσχημον ἐπαναιρούμεναι δῆθεν, ὡς μὴ ταῖς πλατείαις κύλιξιν διαχέουσαι τὰ χείλη περιῤῥαγεῖς γένωνται πλατυνομένου τοῦ στόματος καὶ στεναῖς κομιδῇ κατὰ τὸ στόμιον ἀλαβάστροις, ἀσχημόνως πίνουσαι, ἀνακλῶσι μὲν τὰς κεφαλάς*" cett. Id autem vas saepe explicatur „*παρὰ τὸ μὴ ἔχειν λαβήν*" cfr. Etymol. s. v. *ἀλάβαστρον*. Hac via progredientes apud Athenaeum iustum ordinem restituimus et vocem parum graecam exterminavimus.

His expositis ad reliqua poculorum nomina, quae ex Pamphili citantur fide et auctoritate, transimus. Athen. p. 471, e. „*Πάμφιλος δὲ ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἀπὸ τοῦ τὸν Διόνυσον τοὺς θῆρας κλονεῖν, σπένδοντα ταῖς κύλιξι ταύτας κατ' αὐτῶν*" ubi de poculo *θηρίκλειος* disseritur. Hesychius „*θηρίκλειος· κύλικος εἶδος ἀπὸ Θηρικλέους κεραμέως.*" Hoc quidem in nomine propria Pamphili interpretatio omissa, aliaque aliorum allata est, quam ab ipso Pamphilo adpositam fuisse, ex tota eius lexici indole patet. Quod facinus per se non laudandum, si quis nihil nisi epitomen libri scribit, in eo scriptore reprehensionem non me-

retur, qui suum sibi de rebus indicium servat. Etenim non indigeas necesse est Bentleiano ingenio ad cognoscendum, quam absurda et inepta haec sit Pamphili opinio. Quum fere omnes consentiant Thericlem pocula haec invenisse — Bentleius praeter Athenaeum decem testes produxit —: Pamphilus ab eorum sententia recessit, et aliam nominis caussam quaesivit; sed qualem! „Ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι, θηρίκλειον ὀνομασθῆναι τὸ ποτήριον διὰ τὸ δορὰς θηρίων αὐτῷ ἐντετυπῶσθαι" seu, ut Eustathius, „μορφὰς θηρίων." Atque ea interpretandi ratio, habet quo nitatur. Si enim erant θηρία insculpta, poterat ab animalibus aut feris aut mansuetis appellari. At utrum fuerint talia in iis signa, merito dubitatur. Pamphilus autem hos, qui ita interpretabantur, longe superasse putandus est. Quo enim modo e vocibus θῆρας κλονεῖν unquam fieri potuisset θηρίκλειος κύλιξ? et quid sibi vult Dionysi commemoratio? Haec igitur talia si Diogenianus misit et ad aliorum opinionem rediit, haud dubie fecit, quod nemo reprehendere et carpere audebit, cfr. Bentl. Phalar. p. 12 et 215. At reliquit tamen epitomatoris munus. Quare, alio fortasse loco, suaeque sententiae non valde confisus, ita hallucinatus est.

Apud Athenaeum enim haec legimus p. 472, c. „Πολέμων δ' ἐν πρώτῃ Περὶ τῆς Ἀθήνησιν Ἀκροπόλεως οὐδετέρως ὠνόμασεν, εἰπών· Τὰ χρυσᾶ θηρίκλεια ὑπόξυλα Νεοπτόλεμος ἀνέθηκεν." Loquitur de genere vocis, et antea feminini exempla e Menandro et Dioxippo protulit. Deinde versus Apollodori affert „Ἀπολλόδωρος δ' ὁ Γελῷος ἐν φιλαδέλφοις ἢ Ἀποκαρτεροῦντι φησὶν ἐφεξῆς στρώματ' ἀργυρώματα θηρίκλεια τορευτὰ πολυτελῆ ποτήρια ἕτερα" in quibus quod neutrum genus apparet, ad rerum traditarum nexum apprime quadrat. Fiorillo in Observatt. in Athen. p. 9 sq. locum ita scribit:

στρώματ' ἀργυρώματα
θηρίκλεια τορευτὰ
πολυτελῆ ποτήρια

primumque et tertium versiculum trochaicum dimetrum ca-

talecticum, secundum vero Pherecrateum esse credidit. Ac versiculos esse male excogitatos quum nemo non videat; in eo tamen, quod ἐφεξῆς et ἕτερα ab Apollodori versibus seiunxit et Athenaei esse additamenta vidit, Iacobsium et Schweighaeuserum superavit, meo iudicio, quorum prior ἕτερα, posterior etiam ἐφεξῆς ad Apollodorum rettulit. Iacobsius enim versus esse tetrametros putavit, ita scribendos:

— „στρώματ' ἀργυρώματα
θηρίκλειά τ' εὐτόρευτα, πολυτελῆ ποτήρια
ἕτερα"

et de tetrametris suam opinionem Schweighaeusero persuasit. Is autem ipse neutrum genus negligendum esse ratus et ex parte codici A obsecutus „θηρίκλειοι τορευταὶ" exhibenti reponere voluit,

θηρίκλειοι καὶ τορευτὰ πολυτελῆ ποτήρια.

Ab his omnibus equidem Hesychiano a lexico revocor, in quo vol. I, p. 1700. scriptum reperio „θερίκλειον· ποτήριον· κόνδυ." Non moror enim Salmasium, θηρίκλειον infra melius scribi affirmantem. Iam si in Athenaeo „θερίκλειον" reponimus, nulla mutatione opus est. Puta enim, versus esse iambicos et scribe:

στρώματ', ἀργυρώματα,
θερίκλεια, τορευτὰ, πολυτελῆ ποτήρια.

Ita omnia optime cohaerent. Sed quum mira sit haec huius formae mutatio, ibi fortasse Pamphilus, ubi primum vocem commemoravit, suam de vocis origine coniecturam proposuit, ab Diogeniano merito neglectam et praetermissam. Ceterum si Bentleius ex usu vocis apud Phalaridem, eius epistolas spurias esse, colligere potuit: nonne grammaticus simili loco libri suppositicii cuiusdam ante oculos posito falli potuit, et ab Thericle figulo ad aliam originem quaerendam duci? An ipsas hasce ille iam legit Phalaridis epistolas?

Athen. p. 495. s. v. "Ολλιξ (vulgo "Ονυξ) Πάμφιλος ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι τὸ ξύλινον ποτήριον ἀποδίδωσι." Quod si quis cum Schweighaeusero Ἀττικὰς λέξεις peculiaris libri inscriptionem esse autumat, cfr. ei. indic. auctor.;

non mirabitur si huius vocabuli ne minimum quidem vestigium in Hesychiano lexico cernitur. Ac multum vereor, ne id iure fieri nequeat. Etenim Atticas glossas magno Pamphili opere fuisse comprehensas, cum multa docent, tum nihil praeclarius, quam quod Theodori Attica vocabula ab eo recepta fuisse, ex Athenaeo, XV, 677, b. discimus. Nihil igitur superest nobis, quam ut hanc quoque vocem in Hesychio quaerendam statuamus esse. At non invenitur. Neque Casauboniana scriptura „Ὄνυξ" quam Schweighaeuseri codices non agnoscunt, ac praeterea nihil commendat, in Hesychio exstat, cfr. Schweigh. Animm. vol. VI, p. 252 seq. Quare equidem, utramque vocem Ὄλλιξ et Ὄνυξ, falsam esse et Ὁλκαῖον, vel Ὅλκιον legi debere suspicor. De voce Ὁλκαῖον Hesychius: „λεκάνη, νιπτὴρ, κρατήρ." De voce Ὅλκιον· μέγας κρατὴρ, λουτήρ. Quanquam enim Photii lexicon „ὁλκεῖον· χαλκοῦς λέβης, τρεῖς πόδας ἔχων" habet et ita a ligneo poculo nos removet: sunt tamen alii, ut Pollux, X, 134, qui ὁλκία explicat voce πηδάλια, et Hesychius, qui ait „ὁλκοί· αἱ μηχαναὶ, δι, ὧν αἱ νῆες νεωλκοῦνται," qui eo nos reducunt. Deducitur enim vox a verbo ἕλκω et nihil continet, quod ad materiam referendum sit, cfr. Schneider. in lex. Graec. s. v. ὁλκαῖον. Difficultas alia simul tollitur. Quaeritur enim, cur Ὁλκαῖον Athenaeus omisisset, qui eam vocem bene noverat et bis ex Epigene attulit, p. 472, a et 480. b. Idque ipsum poculi genus apud Pollucem legimus, VI, 99. At ita quoque iustum elementorum ordinem non restituimus.

Sequitur Athen. p. 495, a „Πρόαρον· κρατὴρ ξύλινος, εἰς ὃν τὸν οἶνον κιρνᾶσιν οἱ Ἀττικοὶ „κοίλοις ἐν προάροις" φησὶ Πάμφιλος." Omnia poculorum genera, quae a π consonante incipiunt, ita deinceps exposita sunt „παναθηναϊκὸν, πρόαρον, πελίκαι, πέλλα, πενταπλόα, πέταχνον, πλημοχόη, πρίστις, προχύτης, προυσιάς" praeter πρόαρον accurate ex litterarum ordine. Ea autem vox in Hesychii lexico frustra quaeritur; quid? quod recte Schweighaeuserus „huius vocabuli" ait in Animm. vol. VI,

p. 254. „nusquam alibi, quod sciam, nisi in hoc Athenaei loco, vestigium ullum hodie reperitur." Audeo igitur hic quoque coniecturam proponere. Restituendum enim duco aut *κίδαχνα*, aut *κελάχνη*, quorum prius Hesychius „*τὰ ἐκπέταλα καὶ φιαλοειδῆ ποτήρια*" posterius „*τρυβλίον ἐκπέταλον*" explicat. Ac si vocem *κίδαχνα* praefero, non ab Hemsterhusii iudicio pendeam, qui ad Pollu*c*. X, 67. (vol. II, p. 1228.) *κελάχνην* nihil nisi vitium esse, immerito censuit, sed Atticae dialecti proprietatem, quae *δ* praefert, sequor.

Addo vocem *Μάνης*, Athen. p. 487, c. „*Μάνης ποτηρίου εἶδος. Νίκων Κιθαρῳδῷ*

Καὶ πάνυ τις εὐκαίρως „Προπίνω" φησὶ, „σοὶ
πατριῶτα" μάνην δ' εἶχε κεραμεοῦν ἁδρόν,
χωροῦντα κοτύλας πέντ' ἴσως· ἐδεξάμην.

Παρέθετο τὰ ἰαμβεῖα καὶ Δίδυμος καὶ Πάμφιλος. Καλεῖται δὲ μάνης καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ κοττάβου ἐφεστηκὸς, ἐφ' οὗ τὰς λάταγας ἐν παιδιᾷ ἔπεμπον· ὅπερ ὁ Σοφοκλῆς" cett. Hesych. s. v. „*Μανήνεις· τὰς λάταγας*" „*Μάνης· κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα, καὶ βαρβαρικὸν, καθάπερ Εὔβουλος ἐν Κυβευταῖς παρίστησι, καὶ ἄλλων καταλέγων ὀνόματα βόλων*" ut Musurus pro *καταλέγων βόλ*... scripsit, cfr. Schow. Supplem. p. 517. Cogitatio igitur animum subit, num Athenaeus sibi Didymum opposuerit, Pamphilique commemoratio ad sequentia pertineat. „*Παρέθετο τὰ ἰαμβεῖα καὶ Δίδυμος. Καὶ Πάμφιλος „Καλεῖται δὲ μάνης*" cett. sc. *φησί*. Non nego tamen, nihil esse quod nos impediat, quo minus eam notionem ab excerptore omissam credamus.

Perfectis igitur omnibus, quae de poculorum nominibus e Pamphili lexico Athenaeus servavit: ut nihil, quod desiderari possit, missum faciamus, reliqua, in quibus Pamphili nomen commemoratur, percurrimus. Athen. II, 52. f. „*ἀμυγδάλη· Πάμφιλος μὲν ἀξιοῖ ἐπὶ τοῦ καρποῦ βαρύνειν, ὁμοίως τῷ ἀμυγδάλῳ· τὸ μὲν δένδρον θέλει περισπᾶν, ἀμυγδαλῆ καὶ ῥοδῆ*" Hesychius „*Ἀμυγδαλῆ· ὁ*

καρπὸς καὶ τὰ πράγματα" quae Musurus corrupit; codex enim ap. Schowium p. 68. recte „ἀμυγδάλη" Suidas eadem, qua Pamphilus, ratione „ἀμυγδάλη ὁ καρπός" — Athen. IV, 171. b. Postquam Athenaeus de vocibus τραπεζοποιὸς, ἐπιτραπεζώματα, quae iisdem verbis adeo, quibus Pamphilus utitur, explicavit, aliisque deinceps locutus est: ita pergit: *Ειλέατροι δὲ καλοῦνται, ὥς φησι Πάμφιλος, οἱ ἐπὶ τὴν βασιλικὴν καλοῦντες τράπεζαν παρὰ τὸν ἐλεόν. Ἀρτεμίδωρος δὲ αὐτοὺς δειπνοκλήτορας ὀνομάζει. Ἐκάλουν δέ φησι καὶ τοὺς προγεύστας ἐδεάτρους, ὅτι προήσθιον τῶν βασιλέων πρὸς ἀσφάλειαν. νῦν δὲ ὁ ἐδέατρος ἐπιστάτης γέγονε τῆς ὅλης διακονίας*" cett. Ita Schweighaeuserus edidit, sed aliter priores editores. Primum enim pro voce εἰλέατροι edebatur ἐλέατροι in editt. Basil. et Casaub.; quam scripturam vox ἐλεὸς ab nemine huiusdum, nec ab ipso Schweighaeusero, tentata commendabat. Sed quum ms. E. εἰλέατροι, membr. A. εἰλαίατροι praeberent, Schweigh. Animm. II, p. 611. ita disputavit „Ac sane commodissimum hoc videri debebat, cum ob id, quod mox adiicitur, παρὰ τὸν ἐλεόν; tum quod communi consensu alii grammatici, qui huius vocabuli meminerunt, Ammonius de differ. voc. p. 48, Etymologus col. 324, 46. et Eustath. ad Od. ξ p. 553, 24. ἐλέατρος scribunt. Sed quoniam et Suidas in εἰλεὸς et Etymol. l. cit. et col. 298, 32. et Eustath. l. cit. diserte docent, perinde et εἰλεὸν et ἐλεὸν dici τὴν μαγειρικὴν τράπεζαν consequens erat, ut et εἰλέατροι et ἐλέατροι dici potuisse intelligeremus." Cui quidem demonstrationis generi vehementer repugno. Quid enim est, cur ex simplicibus productiora vocabula corrigit? Quoniam nemo formam εἰλέατροι, multi εἰλεὸς cognoverint, omnes autem ε propriam formam, eique ι adiunctam postea fuisse censeant: illam ι litteram in simplici interdum, nunquam in productiore forma appositam esse intelligimus. Accedit quod Athenaeus ne in simplici quidem forma unquam εἰλεὸν dixit, cfr. p. 173, a. Re igitur bene pensitata in Athenaeo Casauboni rationem praeferimus Schweighaeuserianae.

Deinde pro *ἐδεάτρους* habent edd. Venet. et Basil. *ἐλεεάτρους*, ed. Cas. *ἐλεάτρους*. Sed quum iam Valckenarius ad Ammonium p. 74. recte *ἐδεάτρους* reposuerit, Schweigh. suis membranis instructus, Valckenarii sententiam firmavit, cfr. l. l. p. 612.

Haec de Athenaeo. In Hesychiano lexico neque *εἰλεὸς* neque *εἰλέατροι* occurrunt quaerenti, sed s. v. *ἐλέατροι* haec dicta sunt „*Ἐλέατοι· οἱ δειπνοκλήτορες*" ubi recentiores *ἐλέατροι* scribunt et *βασιλικοὶ* addunt, cfr. Albert. not. Quae quum verissime emendata sint: epitomatorem breviorem Artemidori interpretationem longiori Pamphilanae praetulisse apparet. Simul inde intelligitur, *ἐλέατρος* veram esse et ab Athenaei manu profectam scripturam. Ceterum in voce *ἐλεὸς* interpretanda conveniunt, Athen. p. 173, a. et Hesych. s. v. Praeterea quaeritur, quis ille sit scriptor, cuius verba Athenaeus de voce *ἐδέατρος* adscripserit. Valckenarius enim dum ad Ammonium Anim. p. 73. (p. 56. ed. Lips.) ad Artemidorum ea rettulit: contra Schweighaeuserus non satis esse perspicuum ait, verbum *φησί* utrum ad Pamphilum sit, an ad Artemidorum referendum. Si nostra est vera ratio, non dubitandum est, quin omnia ad Pamphilum trahenda sint, ex quo ipsam Artemidori sententiam Athen. hauserat. Legimus autem in Hesych. lexico, rem eandem „*Ἐδέατρος· προγεύστης βασιλέων ἐπιμελητὴς δείπνου.*" Attamen omnia accurate perpendenti mihi alia subnata est opinio. Loquitur enim de hac voce Eustathius ad Odyss. *α*, p. 37. p. 16 seqq. ed. Rom. „*ἐκ τοῦ αὐτοῦ γὰρ ῥήματος καὶ ὁ παρὰ Αἰλίῳ Διονυσίῳ ἐδέατρος· περὶ οὗ λέγει ἐκεῖνος, ὅτι τὸ μὲν ὄνομα Ἑλληνικόν· ἡ δὲ χρεία Περσική· ἦν δέ φησι προγεύστης· προεσθίων τοῦ βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν· ὕστερον δὲ ἐνομίσθη ἐδέατρον καλεῖν τὸν ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς.*" Itaque Eustathius iisdem paene, quibus Noster, verbis usus: tamen nec ex Pamphilo nec ex Artemidoro, sed ex Aelio Dionysio sua deprompsisse profitetur. Quid igitur? si Dionysii nomen, non raro alibi memoratum in Athenaei

libro, cfr. Schweigh. Ind. Auct. p. 95. hoc loco excidisset? Mihi quidem id non improbabile videtur esse.

Athen. VII, 315, a. „Ὀρφώς· καλεῖται δὲ καὶ ὀρφὸς, ὡς Πάμφιλος“ Hesych. „Ὀρφώς· ἰχθὺς ποιός.“ reliqua Epitomator omisit. — Athen. XIII, p. 573, e. „Πόρνης δὲ Ἀφροδίτης ἱερόν ἐστι παρὰ Ἀβυδηνοῖς, ὥς φησι Πάμφ.“ cett. In Hesychio de Veneris templo ne minimum quidem a me repertum est vestigium, ut nisi alius liber significatur, neque Pamphili nomen alii locum relinquit merito, Diogenianum ea, tanquam a lexico aliena, praetermisisse credam. Voces exstant „Ἄβυδος, Ἀβυδόθεν, Ἀβυδοκόμας, Ἀβύδεις, Ἀβυδινὸν ἐπιφώνημα.“ — Athen. XIV, 645. e. „Ἐπιχύτων· — Πάμφιλος δὲ τὸν ἀττανίτην καλούμενον ἐπίχυτόν φησι καλεῖσθαι· τοῦ δὲ ἀττανίτου Ἱππῶναξ — μνημονεύει“ Hesychius „ἀττανίτας — τηγανίτας“ „Ἐπίχυτον· εἶδος πέμματος.“ Ergo in his quoque Epitomatoris manus agnoscitur. — Athen. XIV, 642. „Ἀπίων δὲ καὶ Διόδωρος, ὥς φησι Πάμφ., ἐπαίκλειά φασι καλεῖσθαι τὰ μετὰ τὸ δεῖπνον τραγήματα“ Hesychius „αἶκνον· δεῖπνον“ „Ἀναίκλεια· ἄδειπνα“ „εἰκλεῖ· δειπνεῖ“ „Εἰκλόν· δεῖπνον“ „Ἐξείκλω· ἀπὸ δείπνου.“ Abest tamen ἐπαίκλεια; quare mihi verisimile est: Pamphilus eam vocem s. v. αἶκνον tractaverat.

His in locis solis Pamphili nomen ab Athenaeo commemoratum est. Neque tamen longam nostram et arduam viam superavimus totam: quia Athenaeus alibi quoque, ubi Pamphilum non nominavit, eius thesaurum expilare non dedignatus est, de quo iam disputabimus.

§. 2.

Quae nuper demum tractari accuratius coeptae sunt de singulorum scriptorum fontibus quaestiones: largam omnibus, qui philologiae cupiunt et omnibus humanitatis studiis prodesse

scribendi et commentandi materiam etiam nunc praebent. Innumeros scriptores, e quibus sua conquisiverit, Athenaeus commemoravit, et ita, quod voluit assequi, ut doctrinae suae immensae copiam posteris probaret, vere perfecit. „Numerum si quis inire voluerit Auctorum," ait Schweighaeuserus praef. p. IX. „quorum e scriptis loca, breviora quidem multa, sed et satis longa haud pauca, in hoc opere citantur, ad octingentos esse comperiet." Quid? quod ipse de se praedicat „ἐγὼ γὰρ οὐκ ἀπήντησα τῷ δράματι· πλείονα τῆς μέσης καλουμένης κωμῳδίας ἀναγνοὺς δράματα τῶν ὀκτακοσίων καὶ τούτων ἐκλογὰς ποιησάμενος, οὐ περιέτυχον τῷ Ἀσωτοδιδασκάλῳ." Haec sane fere incredibilis diligentia magnam laudem viro et admirationem apud omnes posteros contraxit. Et quid homines aequales senserint, ex Aeliano poterit cognosci, qui paullo post libri editionem, nulla eius mentione facta, plurima ex eo in Varias suas historias transtulit. Schweigh. praef. p. XVI. Neque nos ei hanc laudem minuere possumus. Attamen si contendo, multa, immo permulta veterum scriptorum loca, Athenaeum non legisse ipsum et excerpsisse, sed ab aliis congesta repperisse et in suum librum transtulisse: neque virum ipsum id tanquam admissum crimen fugientem habebo, neque alios nanciscar adversarios. Nam ipse scriptoribus omnium generum laudatis famam honoremque sibi parandi cupidissimus, hunc conatum suum neque fateri non volet, neque excusare studebit, sed celebrabit potius vehementer.

Iam quum magnam eius libri partem singularium vocum expositio absumat, cfr. Schweigh. praef. p. XIII, praecipuum inter eius fontes locum lexicographi occupant, quorum ipse magnam copiam nominavit, cfr. Indd. Schweigh. Titull. s. vv. λέξεις et γλῶσσαι, tom. IX, p. 234. et 253. Quae de Pamphilo disputavimus, clare id demonstrant. Maxima tamen eorum pars quum omissa sit, quo modo iis fontibus usus fuerit, et quantam sui operis partem ab illis acceperit, explorare difficillimus est conatus. Eo diligentius singula, quae possumus, rei exempla perquirere debemus. Hanc ob

caussam gaudeo, quod haec de Hesychiano lexico disputatio ei quoque quaestioni, quae est de Athenaei fontibus, et, quod summum est, de ratione, qua usus est illis, adiumenta allatura est.

Observavimus enim, non raro ab Athenaeo alios lexicographos ex Pamphili auctoritate citari. Propterea iam diu ante nos Valckenarius, Vir summus, libros quosdam appellavit, quos non ab ipso Athenaeo inspectos, sed e Pamphili magno libro cognitos esse censuit, cfr. Theocritt. p. 293. B. C. „Nullus," ait, „grammaticorum, quorum ad nos scripta pervenerunt, mihi quidem legisse videtur glossarium illud Laconicum Aristophanis. — Athenaeus laudat, sed ex Pamphilo cognovit." Idem de aliis scriptoribus dicit. Quae si vera esset sententia, primum sequeretur, Athenaeum saepe eos ipsos nominasse scriptores, tanquam ipse cognoverit, et sua ex iis hauserit: deinde, cuius rei caussa hanc omnem disquisitionem institui, ubicunque illi apud Athenaeum nominantur, in Hesychiano lexico eius rei vestigia cerni posse. Simul autem, si haec vestigia vere impressa reperimus, eo magis nostrae de Hesychiano lexico sententiae veritas omnibus elucebit. Non evitemus igitur hoc demonstrationis genus, et primum quid de Aristophane Byzantio sentiendum sit, indagare studeamus.

Inter primos enim graecos glossographos splendet Aristophanis Byzantii nomen, quem virum fuisse praestantis ingenii, omnes veteres et recentiores uno ore edicunt. Nam praeter multa alia, quibus suum nomen nobilitavit, librum scripsit, in quo Laconicas voces collegerat, Fabric. bibl. Gr. t. IV, cap. XXXIV, §. XIV; quem Wolfius, ubi summas res generatim persequi volebat, summa iniuria praetermisit, cfr. Prolegg. ad Hom. p. CCXVIII. Sed non diu eius liber in hominum manibus mansit. Etenim inter grammaticos post eum viventes, reperti sunt, qui singula a viris doctis scripta lexica in unum corpus coniungere ausi, inprimis eius librum occuparent. Quo facto, ut eius volumina negligerentur, effecerunt. Ita Pamphilum et Hesychium, quorum

libros diversos esse putabat, glossario laconico eius usus fuisse, Valckenarius censuit. Illud enim Athenaeus, III, 77, a; hoc lexicon ipsum ostendere videbatur, cfr. Theocritt. l. l. Hesych. s. vv. Ἄαδα, Ἄανθα Βούθυτον, Πουστάκους, aliis. Videamus igitur et ipsi. Athen. III, 77, a. „Τὰ δὲ χειμερινὰ σῦκα Πάμφ. καλεῖσθαί φησι Κυδωναῖα ὑπὸ Ἀχαιῶν, τοῦτο λέγων Ἀριστοφάνην εἰρηκέναι ἐν Λακωνικαῖς Γλώσσαις." Iam dudum intellexerunt, κωδωναῖα falso scribi. Ms. E. Schweigh. κωδωναῖα cum Eustath. ad Odyss. ω. p. 839, 1. Hesych. „κωδώνεα σῦκα χειμερινὰ καὶ καρύων εἶδος Περσικῶν" „Κυθώνιον· μέγα — καὶ τὸ μῆλον." Quare iure suo, ut credo, Hesychii scripturam veram esse iudicavit Bod. ad Theophr. p. 341, et 388, cfr. Schweigh. Animm. II, p. 27. Ab his, non temere, sed consilio bis tractatis ad aliud exemplum, quo Pamphilus non nominatur, ut testis, transeo. — Athen. III, 83, a. „Ἀριστοφάνης δὲ ὁ γραμματικὸς ἐν Λακωνικαῖς Γλ. τὰ κοκκύμηλά φησι τοὺς Λάκωνας καλεῖν ὀξύμαλα Περσικά, ὅ τινες ἄδρυα." Hesych. „Ὀξύμαλα· τὰ κοκκύμηλα" et s. v. „Ἄδρυα — Σικελοὶ δὲ ἄδρυα λέγουσι τὰ μῆλα· παρὰ δὲ Ἀττικοῖς ἀκρόδρυα." Praeterea hunc titulum Athenaeus non commemoravit. Sed Ἀττικὰς eius glossas, XIV, 619, b. produxit. „Ἀριστοφ. δ' ἐν Ἀττ. φησι λέξ. „Ἱμαῖος, ᾠδὴ μυλωθρῶν· ἐν δὲ γάμοις, ὑμέναιος· ἐν δὲ πένθεσιν ἰάλεμος. Λίνος δὲ καὶ αἴλινος, οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπᾷ κατὰ τὸν Εὐριπίδην" Hesychius II, 44. „Ἱμαῖος· ᾠδὴ ἐπιμύλιος καὶ ἐπανταῖος καὶ ἐπίνοστος" p. 1448. „Ὑμέναιος· γάμος ἢ ἐπιγάμιος" p. 5. „Ἰάλεμοι· θρῆνοι" cett. p. 482. „Λίνος· ᾠδῆς ὄνομα" cett. I, p. 157. „Αἴλινος· ὕμνος, θρῆνος." Quae quum omnia in Hesychio reperiuntur, hunc quoque Aristophanis librum Pamphilus excerpsit: si modo a superiore diversus fuit, neque uno libro grammaticus Atticas, Laconicasque dictiones coniunctim explanavit, praesertim quum Hesych. s. v Ἄαδα dixerit „Ἀριστοφ. ἐν Γλώσσαις" nisi forte Epitomator immerito reliqua abiecit. Haud dubie

eum ipsum locum, quem Athenaeus exhibuit, ex Pamphilo cognovit. Est autem propterea magni momenti, quod servatur, quia aperte Aristophanem non secutum esse alphabeticum sed rerum ordinem quendam perspicimus: quo magis elucet, quomodo ex hominum manibus abiectus sit, qui libentius libris utebantur, ad litterarum ordinem compositis. Iam vero, quascunque *γλώσσας* ex Aristophane Athenaeus attulerit, contemplemur necesse est. Athen. XI, 485, d. „*Λεπαστή· Ἀριστοφάνης δὲ καὶ Ἀπολλόδωρος γένος εἶναι κύλικος*“ Hesych. „*λεπαστή· κύλιξ.*“ Quae autem praeterea de vocc. *Τιλφῶσσα* et *κρεωκάκκαβος* dicuntur IX, 384, d. non exstant.

Sed tam pauca Athenaeus ex Aristophanis glossis servavit, ut ad opinionis nostrae veritatem demonstrandam alios quoque lexicographos inspicere cogamur. Inter antiquissimos, qui nobis servati sunt, enumerandus est Erotianus, qui Neronis aetate vixit, et pluries Aristophanis nostri mentionem iniecit. Is igitur primum de voce *ἄμβην* haec habet, p. 86. ed. Franz. „*Καὶ γὰρ οἱ Ῥόδιοι Ἄμβωνας καλοῦσι τοὺς ὀφρυώδεις τῶν ὀρῶν ἀναβάσεις. Μέμνηται τῆς λέξεως καὶ Αἰσχύλος καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικός*“ Hesych. „*Ἄμβωνες· αἱ προςαναβάσεις τῶν ὀρῶν· Αἰσχύλος Κερκύωνι καὶ Σισύφῳ.*“ Saepe ita grammatici poëtas et eorum interpretes coniungunt; verbi caussa Hesych. s. v. „*Ἄανθα*“ „*εἶδος ἐνωτίου παρὰ Ἀλκμᾶνι ἢ Ἀριστοφάνει*“, male enim ibi interpretes dubitant et de comico Aristophane cogitant. Erot. p. 118. „*Διόπῳ· τῷ τῆς νηὸς ἐπιμελητῇ· παρὰ τὸ διοπτεύειν· Ἀττικὴ δὲ ἡ λέξις, κειμένη καὶ παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι, καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Σισύφῳ καὶ Εὐριπίδῃ ἐν Ἱππολύτῳ*“ Hesych. „*Δίοποι· ἐπιμεληταί*“, lege „*διόπῳ· ἐπιμελητῇ*“. Adde „*Διοπεύειν· ἐπιμελεῖσθαι νεώς*“ et „*Δίοπος· ἐπίσκοπος*“ cet. Erot. p. 180. „*θράσσειν· μαίνεσθαι, ὡς καὶ Ἀριστοφάνης ὁ Γραμματικός.*“ Abest ab Hesychio; sed non aberat ab Diogeniano, quod capite quarto vidimus. — Ib. p. 312. „*κικερίῳ· βουτύρῳ· ὡς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς*

ὑπομνήμασί φησιν ὅτι Θόας ὁ Ἰθακήσιος ἱστορεῖ παρὰ Φριξὶν πικέριον καλεῖσθαι τὸ βούτυρον" Hesych. „βούτυρον· βοτάνης εἶδος, Διονύσιος·" Ἔλφος· βούτυρον Κύπριοι." — Id. p. 388. „φορινοῦς· πυκνῆς φησίν· Οὕτως Ἀριστοφάνης ὁ Γραμμ." Hesych. „φορίνη· ἡ παρ' ἐνίοις πυρίνη," quae sese emendant invicem. Erotianum igitur Valckenarius excipere debebat, ubi de amisso Aristophanis libro querebatur. Non negari enim potest, hunc vidisse illum; quapropter eo magis confidenter, a Pamphilo Aristophanem receptum, et Pamphili excerptum ad nostram aetatem descendisse contendimus; ac de tota Valckenarii sententia dubitamus. Si enim Neronis aetate Erotianus, et Pamphilus paullo post, eius libro uti potuerunt: cur Athenaei temporibus, circa Commodi imperium amissus cogitatur? quid quo minus Athenaeum nonnisi suae commoditatis gratia eius sententiam ex Pamphilo cognovisse censeamus, nos impedit? Accedit, quod ex illo tempore, quo Aristophanes vixerat, de glossis Laconicis aliisque plures libri scripti erant, qui haud dubie Aristophanem superaverant, et saepe plura et meliora dederant; id quod ex ipso Athenaeo facile colligitur. Interdum enim, ubi de Laconicis loquitur glossis, testes advocat Ameriam et Seleucum, quorum libros ipsos fuisse a Pamphilo receptos, cognoscitur, si Athen. II, 52, c. cum Hesychio s. v. Μύκηρος comparamus. Praeterea Polemonis auctoritate nititur, IX, p. 409, d. „τὰς ἀπομυγδαλιὰς ἀτιμάσαντες, ἃς Λακεδαιμόνιοι ἐκάλουν κυνάδας. ὥς φ. Πολέμων ἐν τῇ περὶ Ὀνομάτων ἀδόξων Ἐπιστολῇ" Hesych. „κυνάδες· ἀπομυγδαλιαί", ut haec quoque Pamphilo accepta debeat; quanquam ubi iterum eiusdem meminit, II, 55, e. „Πολέμων δέ φησι τοὺς Λακεδαιμονίους τοὺς θέρμους λυσιλαΐδας καλεῖν", in Hesychio nihil repperi, nisi fallor, quod λυσιλαΐδες vox est corrupta, cfr. Schweigh. ad h. l. Animm. I, p. 374. Quare quum ea quoque consentiant, quae de Laconico poculo, Cothone, uterque proferunt, cfr. Athen. XI, 483, b. Hesych. s. v. Κώθων,

Athenaeum suspicor, ubi de Laconica dialecto quaerebat, Pamphilo usum esse.

§. 3.

Ab Aristophane ad Artemidorum transeundum est, de quo hoc libentius aliquid referam, quod obscuriorem eius memoriam clariorem reddere et efficere posse credo, ut librorum ab eo scriptorum indoles melius, quam cognosci hucusque potuit, appareat. Fontibus Pamphili eum adnumerandum esse ex Athenaeo intelligitur; et apud Hesychium quoque eius nomen non est ab excerptore semper deletum. Nam sub voce *Κνηστὸς* ap. Alb. II, p. 286. legimus „*ἄρτος· Ἀρτεμίδωρος*“ s. v. *σκυρία δίκη*, II, 1224. „*Ἀρτ. ἰδίως φησὶν ἡ Θησέως καλεῖται τελευτή· φυγόντα γὰρ αὐτὸν εἰς Σκῦρον ἐκεῖ κατακρημνισθῆναί φασιν*“; s. v. *Ταλάντιον* II, p. 1341. „*τόπος· Ἀρτ.*“ postremo s. v. *μίλαξ* II, p. 601. „*ἡλικία· ἔνιοι δὲ μίλλα* (*μίλαξ* Kust.) *καὶ παρ' Ἑρμίππῳ ἐν θεοῖς· ἀγνοήσας Ἀρτ.· ἐκεῖ γὰρ Μίλαξ ἐστί· δηλοῖ δὲ τὸ δημοτικόν.*“ Quare multis in aliis quoque locis Artemidori sententiam a nostro esse relatam, non immerito suspicamur: idque ita semper esse institutum videmus, ut eam non diceret solum, sed ut par est diiudicaret (cfr. s. v. *μίλαξ*). Simul Athenaeo et Hesychio inter se comparatis, Pamphili nos habere librum, eo magis confirmatur. Quaecunque enim ex Artemidoro affert Athenaeus, paucis exceptis, in Hesychio exstant, ut haec quoque non ex ipso Artemidori libro, sed ex nostro Pamphili mentionem Artemidori hausisse videatur. Quae Hesychius de voce *Κνηστὸς* habeat, iam vidimus. Athen. III, 111. d. „*Κνηστὸς ἄρτος ποιός τις παρὰ Ἴωσιν· Ἀρτεμίδ. ὁ Ἐφέσιός φησιν ἐν Ἰωνικοῖς Ὑπομνήμασι.* Praeterea Athen. IV, 182, d. ait „*ὁ δὲ καλάμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσιν, ὡς Ἀρτ. ἱστορεῖ ὁ Ἀριστοφάνειος ἐν δευτέρῳ περὶ Δωρίδος*“ Hesych. „*τιτυρῖνος· μόναυλος ἢ αὐλὸς καλάμινος.*“ Scribe *τιτύρινος*,

quod iam Sopingius coniecit, et adverte, in his apud Hesychium primum Ameriae, cfr. Athen. IV, p. 176, deinde Artemidori enarrari sententiam.

Non temere coniunxi, quae plerisque separanda esse videbuntur. Fuit enim usque ad hanc aetatem constans virorum doctorum opinio, diversos esse homines Artemidorum Aristophaneum et Ephesium, et quod inde consequitur, diversorum opera, περὶ Δωρίδος et Ἰωνικὰ Ὑπομνήματα. Equidem contra unum eundemque hominem ab Athenaeo modo Ephesium, modo Aristophaneum vocatum esse suspicor. Nam id non raro est in hoc libro factum, ut eidem homini diversis locis diversa sua cognomina tribuantur: non aliter ac si eundem Pamphili librum, ut antea intelleximus, modo „περὶ Γλωττῶν" modo „περὶ Ὀνομάτων" inscriptum affert, semel adeo „ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι." Utrumque autem opus eiusdem fuisse indolis ex ipsis ab Athenaeo allatis rebus apparet. Addendum est, Erotianum in gloss. Hippocratt. p. 244. non libros de Dorica, vel Ionica dialecto citasse, sed universe „Ἀρτεμιδώρου λέξεις", eaque ipsa, quae profert, in nostro Hesychio reperies. Quod si ita est, ut est, Ephesium geographum, a Strabone saepe laudatum grammaticae arti operam navasse sumendum est, quod ut tum erant tempora, post Eratosthenis studia minime mirandum est. Heyn. de gen. saec. Ptolem. in Opusc. I, p. 99. Ephesii aetatem cum compertam habeamus, id rationi nostrae favet, quod grammaticus inter Aristophaneos enumeratur, cfr. Ukert. Geogr. d. Griech. u. Röm. I, 156. Vossius de histor. Gr. p. 130, 143, qui tamen plures Artemidoros miscuit diversos et Fabric. Bibl. Gr. IV, c. XIII, qui Ascalonitam, historicum, iniuria grammaticum appellavit.

Iam quum ex Athenaeo notum sit, Artemidori librum esse a Pamphilo usurpatum et ex parte exhaustum: ea quoque, quae ab aliis ex eo laudantur, in Hesychio adsint necesse est. Erotianus igitur l. l. „Λάσιον ὀθόνιον, ὡς Θεόπομπος ἐν Ὀδυσσείᾳ καὶ Ἀρτεμίδωρος ὁ γραμματικὸς ἐν ταῖς λέξεσί φησι, λινοῦν ὕφος δασὺ εἶναι" Hesych.

„λάσιον ὕφος τὸ δασύ." Lex. Phot. p. 583, 15. ed. Pors. de voce τευτάζειν „καὶ Ἀρτεμίδωρος τὸ φροντίζειν" Hesych. „Τευτάζει· σκευωρεῖ, ἡσυχάζει, διατρίβει· οἱ δὲ φροντίζει." In Schol. ad Aristoph. Vespp. 1164. de voce „διασαλακώνισον· ἔοικεν ἐμφαίνεσθαι τῷ ὀνόματι τὸ σαλακωνεύεσθαι, τουτέστι τὸ σαλεύειν τὸν πρωκτόν· ἐν τισι μὲν διαλυκώνισον ἀπὸ Λύκωνος· ἐν δὲ τῇ Ἀρτεμιδώρου συναγωγῇ διαλακώνισον" cett. Florenti Christiano et Berglero ad Λάκωνας allusisse Aristophanes videtur, cfr. Intptt. ad l. l., idque luce solis apertius est voluisse Artemidorum, etsi verum sit, quod Reisigius contendit, Coniect. ad Aristoph. p. 53. „διαλυκώνισον et διαλακώνισον nihil esse, nisi scribendi peccata librariorum." Vix enim contenderit Reisigius, Artemidorum ipsum διαλακώνισον scribere non voluisse, quod a verisimilitudine nimis recedit. Comparatio Hesychiani lexici doceret optime omnia, nisi summa corruptione huius loci laboraret. Primum enim διασακώνισον scriptum est, quod quanquam ingeniose Is. Vossius, ad glossam „σαικωνῆσαι· διασαικωνῆσαι" ap. Alb. II, 1138, provocavit, haud dubie corruptum est. Repugnat enim vocis interpretatio, qua non nisi de Salacone et similibus exponitur; acceditque, quod eadem ratione postea dicitur „σαλακωνίσαι" pro „σαλακωνεῦσαι." Deinde, ut nunc in codice scriptum est, duobus locis de eadem voce glossographus loquitur. Intercedit enim vox „διασάτηρ· διαπάζειν Λάκωνες, pro quibus Musurus διαπαίζειν scripsit. Sed ea quum sit ipsa contra litterarum ordinem hic interposita, et minime seiungenda separaverit, neque, si quid video, apti et consentanei aliquid contineat: cum reliquis omnibus mihi quidem coniungenda iterum videtur. Casaubonus enim, qui inde colligit, Satyrorum nomen proprium Dorum initio fuisse, quia σάταρ aut σάτηρ in illorum dialecto *ludere* significasset, de Satyr. poësi p. 41 seq. ed. Ramb.: in his audaciam prodit, non imitandam; et ut dicam, quod sentio, loco abusus, non debebat virorum doctorum plausum hac infelici coniectura sua nancisci. Atque Heinsius quidem

„διασατυρίδδην" scribens de satyr. Horat. lib. I, p. 12, certe probabilem formam aliquam inducere cupiebat: quia Casauboni διασάτηρ nimium inepte formata vox videbatur. Sed omnes hi conatus irriti sunt. Nam si, ut ordo postulat et sana mens requirit, cum reliquis coniunguntur: omnia evanescunt. Sub voce „διάννσον" ibi reperta nomen latere cuiusdam critici, iam Kusterus coniecerat. Addo equidem hanc quoque vocem „διασάτηρ" corruptum esse grammatici nomen: quanquam non tam audax sum, ut quod illud fuerit divinem. Διακαλίζειν Λάκωνες autem, — id certo videre me arbitror — est ad Artemidori nostri sententiam referendum. Nihil amplius in difficultatibus loci, hactenus a nullo interpretum superatis, affirmo. Ceterum obiter moneo; Hermippi versum ab scholiasta allatum, nec ab Reisigio l. l. p. 55. emendatum, mihi ab Hesychio s. v. σαλακωνίσαι explanatum videri: quare equidem σεσαλακωνισμένην pro corrupto σεσαλακισμένην scripserim. Perspicio tamen, quare Reisigius in hoc vocabulo, quale in Hermippi versibus apparet, σα syllabam produci crediderit posse. — Alios grammaticos, qui Artemidorum testem citarunt, praetereo; praesertim quum non semper librarii ab vitiis abstinuerunt, ut ap. Etymol. 144, 55, cfr. Bast. ad Greg. Corinth. p. 368. Schaef.

His expositis, Pamphilum vidimus de dialecto Laconica Aristophanem, de Dorica Artemidorum exscripsisse, et reliqua quoque, quae illi grammatici de Graecis dialectis scripserant, in usum suum vertisse. Sed praeterea memorantur Athenaeo γλῶσσαι Artemidori ὀψαρτυτικαί, quas ex Athenaeo cognovit Suidas, cfr. Athen. I, 5. b. Suid. s. vv. Τιμαχίδας et Ἀρυεμίδωρος, easque ipsas esse Pamphilo excerptas, ostendere videri possit Athenaeus IX, 378, d, de quo loco iam supra disputatum est. Comparatione autem cum Hesychio instituta, de vocc., μῦμα, Athen. XIV, 663, d. et ματτύη, mihi quidem, id irritum esse, perspectum est. Patet contra ex ipso Athenaeo aliisque locis comparatis, in glossis opsartyticis Eraenetum, antiquiorem Artemidoro, Pamphili fontem fuisse. Nam Athen. III, 88. c. „Ἐκτίνε-

τος ἐν Ἀρτυτικῷ (cfr. Schweigh. not.) καλεῖσθαί φησι μήκωνα" Hesych. II, p. 591. „μήκων — τὰ τῆς κίννης." Additur περιπτώματα corrupte. — Athen. VII, 294, d. de γαλεοῖς. Ap. Hesych. nonnisi „καὶ γένος τι", ubi recte Ἰχθύων addidit Thomas de Sinedo ap. Alb. I, 795. — Ib. 297, c. „γναφεύς" „μνημονεύει δ' αὐτοῦ καὶ Ἐπαίνετος ἐν Ὀψαρτυτικῷ" Hesych. „γναφεύς· εἶδος ἰχθύος", ad quem locum Casaub. p. 524. „Huius piscis et Hesychius meminit; alius Veterum, opinor, nemo." — Ib. 304, d. de pisce „Ἵππουρις" „Ἐπαίνετος δὲ ἐν Ὀψαρτυτικοῖς, κορύφαιναν αὐτόν φησιν ὀνομάζεσθαι." In Hesych. de pisce Ἵππουρις dicto nihil inest; sed „Κορύφαινα· ποιὸς ἰχθύς" exstat, II, p. 325. — Athen. ib. 305, e. „Τοῦ δὲ κάπρου μνημονεύει καὶ Δωρίων καὶ Ἐπαίνετος" Hesych. „Κάπρος· σύαγρος — ἰχθύν." — Ib. p. 312, b. de pisce Λειόβατος „Οὕτως καλεῖται καὶ ῥίνη· ἔστι δὲ λευκόσαρκος, ὡς Ἐπαίνετος ἐν ὀψαρτυτικῷ, Πλάτων" cett. Hesych. „Λειόβατος· ἰχθύς τις τῶν λευκοσάρκων" „Ῥίνη ἰχθύς· δορά." — Ib. p. 313. b. de pisce, Μαινίδες· „Ἐπαίνετος δ' ἐν Ὀψαρτυτικῷ φησί· σμαρίδα, ἣν ἔνιοι καλοῦσιν κυνὸς εὐνά" Hesych. nihil habet s. v. μαινίς, sed „σμαρίδες· γράες· καὶ ἰχθύδια μικρὰ ἄριστα· οἱ δὲ τὰς μαινίδας", quibus e verbis simul elucet, Schweigh. „σμαρίδας" male sollicitasse. Potest enim ἣν ad sequentia trahi. Sed alibi res repetitur. Athen. VII, 328, f. „Ἐπαίνετος δ' ἐν τῷ περὶ Ἰχθύων, φησί" Γαλῆν· σμαρίδα, vulgo σμυρνίδα, ἣν ἔνιοι καλοῦσι κυνὸς εὐνά· χαλκίδας, τὰς καλοῦσι καὶ σαρδίνους· ἐριτίμους· ἵερακα", quibuscum conferenda sunt Hesychii Γαλῇ Ταρτησία, I, p. 795. „χαλκίς· εἶδος ὀρνέου καὶ ἰχθύος." Sub voce ἐρίτιμον frustra Sopingius pro ἰσχυρόν· coniecit ἰχθύν. Ceterum vix intelligerem, quo modo Schweighaeuserus librum „περὶ ἰχθύων" semel laudatum ab ὀψαρτυτικῷ separare voluerit, cuius haud dubie pars fuit, nisi hominem in his rebus saepe errantem deprehendissem. Nam non solum affert librum „περὶ ἰχθύων" laudatum, quod erat eius offi-

cium, sed est, ubi dubitet, an sit potius liber περὶ ἰχθύων intelligendus, cfr. Ind. Auct. utilissimum, sine quo hunc libellum scribere non sine maiore molestia potuissem, p. 101. — Athen. IX, p. 371. s. v. „Κεφάλωτον· Ἐπαίνετος δ' ἐν Ὀψαρτυτικῷ τὰ κεφαλωτὰ καλεῖσθαι φησὶν γηθυλλίδας." Abest ab Hesychio, vide tamen γηθυλλίδαι, ubi ex Didymo omnia hausta esse docet Athenaeus. — Athen. IX, 395, f. „Παρῆσαν δὲ πολλάκις ἡμῖν καὶ οἱ καλούμενοι παραστάται· ὧν μνημονεύει Ἐπαίνετος ἐν ὀψαρτυτικῷ — εἰσὶ δ' οἱ ὄρχεις οὕτω καλούμενοι." Hesych. Παραστάται τὰ ὑπὸ τῶν νεφρῶν ἀγγεῖα καὶ οἱ πρὸς τὰς ᾠὰς στήμονες· cfr. Casaub. p. 678. (Schweigh. Vol. V, p. 182. Animn.) — Ib. XII, 515. de voce καρύκη eiusque σκευασίᾳ scripsisse Epaenetum perhibet. cfr. Hesych. s. v. καρύκη. Postremo ad vocem μῦμα accedo, de qua multa Athenaeus ex Epaeneto protulit p. 663. d. Hesych. „Μῦμα· θριδάκων τρίμμα καὶ ὑπόχυμά τι" cfr. vocem μίμαρκυς. Tam pauca habet epitomator, ut nihil certi inde colligere liceat.

Contemplantibus nobis haec ex Epaeneto apud Athenaeum et Hesychium obvia, non obscurum est, in re coquinaria Pamphilum plurima Epaeneto debuisse: ita ut Athenaeus, ipso eius libro non inspecto, eius dicta cognoscere sine omni negotio potuerit. Deteximus igitur fontem Pamphili Epaenetum, fontem Athenaei Pamphilum; neque dubitamus amplius, quin Hesychius noster fere nihil sit nisi Pamphilus brevior.

Redimus ad ea Artemidori scripta, in quibus Graecae linguae dialecti explicabantur. Vidimus enim, Artemidorum „περὶ Δωρίδος" composuisse librum; quo si diversas Dorum omnium dialectos comprehendere voluit, aliorum opera de singulis scripta inspicere debuit. Ita dubitari nequit, quin Aristophanis librum de Laconica dialecto usurpaverit. Quod si verum est, quoniam Pamphilus Aristophanis et Artemidori libris usus est, fortasse ipse quoque non ipsum Aristophanis opus inspexit, sed ex plenioribus Artemidori

voluminibus accepit. Certe nostri lexici scriptorem tale quid ipsum indicare, putabam, quum ita loquatur „Ἄδδα· — οὕτω καὶ Ἀρ. ἐν Γλώσσαις“, quam voculam καὶ Valckenarius in Theocritt. p. 293. temere eiicere volebat. Nihil tamen certi pronuntiare licet, quoniam Artemidori librum eiusque indolem et naturam parum novimus. Sed erit e re nostra inquirere in alios fontes, e quibus Pamphilus voces doricae dialecti proprias in suum lexicon transtulit. Vidit autem iam Valckenarius l. l. Creticas glossas Hermonactis esse a Pamphilo usurpatas. Quaeramus igitur, utrum omnia ex Hermonacte ab Athenaeo producta in Hesychio nostro, si minus integre ac plane, ita tamen ut rem facile dignoscamus, reperiantur.

Iam primum tenendum est, Creticarum glossarum collectorem modo Hermonactem modo Hermonem appellari. Duplici enim hoc nomine, eundem notari virum; intellexit Fabricius Bibl. Gr. lib. IV, cap. XXXIV, §. XIV, (Tom. IV, p. 535, ed. 1711, VI, p. 192. ed. Harl., et magis constanter dicere debuit Schweigh. in Ind. Auct. p. 124. seq. cfr. Casaub. ad Athen. III, 81, f. G. Koenium ad Gregor. de Diall. p. 133. (p. 290. ed. Lips.) et praef. p. XVIII. Neue Sapphonis Reliq. p. 1. aliosque plures. Memoratur igitur ab Athenaeo, III, p. 81, f. „Ἕρμων δ' ἐν Κρητικαῖς γλώσσαις κοδύμαλα καλεῖσθαι τὰ κυδώνια μῆλα. Πολέμων δ' ἐν πέμπτῳ τῶν πρὸς Τίμαιον, ἄνθους γένος τὸ κοδύμαλον εἶναί τινας ἱστορεῖν. Ἀλκμὰν δὲ τὸ στρουθίον μῆλον“ cett. Hesych. „Κοδύμαλον· τὸ στρουθίον μῆλον· οἱ δὲ κωδώνιον· οἱ δὲ ἄνθους εἶδος“ cett. Coniecturam igitur quis reprimit, omnia in Pamphili libro accurate dicta fuisse, ab Athenaeo descripta? Adde „Κυδώνιον· καὶ τὸ μῆλον· Κυδώνια δὲ πόλις Κρήτης καὶ τὸ φυτόν.“ — Athen. II, p. 53, b. „Ἑρμώναξ δὲ καὶ Τιμαχίδας ἐν Γλώσσαις Διὸς βάλανόν φησι καλεῖσθαι τὸ Ποντικὸν κάρυον“ Hesych. „Διὸς βάλανοι· Ἕρμιππος. — φορμοφόροις — τὰ καστάνια· τινὲς δὲ Ποντικὰ λέγουσιν ἢ Ἡρακλεωτικά.“ Estne apud Athenaeum Ἕρμιππος scri-

bendum? Credo equidem et postea pluribus demonstrare studebo. — Ib. VI, 267, c. „Ἕρμων δὲ ἐν Κρητικαῖς Γλώτταις μνῴτας τοὺς εὐγενεῖς (scr. ἐγγενεῖς) οἰκέτας.“ Hesych. „Μνοία· οἰκετεία“ „Μνῷα· δουλεία“ „Μνῆτοι· δοῦλοι,“ pro qua voce μνοῖτοι legendum esse, patet ex litterarum ordine. — Ib. XI, 502, b. „Χόννοι· παρὰ Γορτυνίοις, ποτηρίου εἶδος, ὅμοιον θηρικλείῳ χάλκεον· ὃ δίδοσθαι τῷ ἁρπασθέντι ὑπὸ τοῦ ἐραστοῦ φησιν Ἑρμώναξ.“ Hesych. „Χόννος· ποτήριον χάλκειον.“ s. v. Χόϊνον· ποτήριον χαλκοῦν.“ Denique Athen. III, 76, e, f. „Ἑρμώναξ, δ' ἐν γλώτταις Κρητικαῖς σύκων γένη ἀναγράφει ἀμάδεα καὶ νικύλεα.“ Utrumque vocabulum non repperi et pro corrupto habeo.

Praeter hos locos Hermonactis libri apud Athenaeum nusquam commemorantur; quanquam nonnullae Creticae glossae producuntur; quas ipsas ex Pamphilo esse sumptas, comparatio Athenaei et Hesychii docet, Athen. XI, 782, c. Hesych. s. v. Κλεινοί, Παράστασις et Φιλήτωρ. — Athen. XI, 783. f. Hesych. s. v. Ἀναφαία, XI, 783, a. Hesych. s. v. κύπελλον. — Athen. XIV, 658, d. Hesych. s. v. θαλείαν; quorum in ultimo loco maxime me advertit Seleuci nomen, quod ipsum inter Hesychii fontes apparet, cfr. Alb. Ind. Auct. Eius enim glossarum collectionem a Pamphilo receptam esse, et ab Athenaeo ex Pamphilo cognitam, compertum habeo, demonstrare tamen supersedeo, monuisse contentus.

A Creticis vocibus ad Italicas transeo; quas ipsas simul cum Siciliensibus in Pamphili lexico comprehensas fuisse Valckenarius censuit, Theocrtt. p. 293 seq. Nititur ille loco supra laudato, Athen. XI, 479, a. „Διόδωρος ἐν Ἰταλικαῖς γλώσσαις, καὶ Ἡράκλειτος, ὥς φησι Πάμφιλος τὴν κοτύλην“, et quae sequuntur; in quibus verbis Valck. Heracliti nomen mutavit, eiusque loco Heracleonem Ephesium reponere voluit, memoratum ab Athenaeo III, 111, c. et alibi. Assensionem suam praebuit Schweighaeuserus, cfr. Ind. Auctor. p. 122. et Animm. ad l. l. Equidem in his viri

eximii vestigiis nolim insistere; quippe qui caussam, quapropter id statuendum sit, videam nullam.

Verum est, Pamphili inter glossas eas quoque, quae Heracleo collegit, conspici; et quidquid apud Athenaeum e Heracleonis glossis legitur, omne ex Pamphilo sumptum videri. Nam quum in Hesychiano lexico non raro Heracleonis mentio iniicitur, tum omnia, quae Athenaeus produxit, apud Hesychium apparent. Docent id Hesychianae voces *γεφυρίς*, *ταυληρόντα*, *τεθήσεται*, *τίγγα*, *τριχθάδες*; docet comparatio inter Athenaeum et Hesychium instituta. Athen. II, 52, b. „*Ἡρακλέων δέ φησιν ὁ Ἐφέσιος „Κάρυα ἐκάλουν καὶ τὰς ἀμυγδάλας καὶ τὰ νῦν καστάνεια*" Hesych. „*Καρύαι· τὰς ἀμυγδάλας καὶ καστάνους*", ubi recte Alb. correxit *κάρυα*. — Ath. III, 76, a. „*Τῶν ὀξαλίων δὲ σύκων οὕτως καλουμένων μνημονεύει Ἡρακλέων ὁ Ἐφέσιος καὶ Νίκανδρος*" cett. Hesych. „*ὀξάλιοι· εἶδος σύκων.*" — Ath. III, 111, c. „*Ναστὸς ἄρτος ζυμίτης καλεῖται μέγας, ὥς φησι Πολέμαρχος, καὶ Ἀρτεμίδωρος· Ἡρακλέων δὲ πλακοῦντος εἶδος*" Hes. „*Ναστὸς —. ἢ ἄρτος μέγας ὁ ζυμίτης· Ἀττικοὶ δὲ ἄρτος εἰς θυσίαν πλακουντώδη*", in quibus Artemidori mentio antea, ne bis eadem repetam, omissa est, ceterum plura adeo quam apud Athenaeum apparent. — Athen VII, 303, b. „*Ἡρακλέων δ' ὁ Ἐφέσιος τὸν ὄρκυνόν φησι λέγειν τοὺς Ἀττικούς. Σώστρατος δὲ ἐν δευτέρῳ περὶ ζώων τὴν πηλαμύδα θυννίδα καλεῖσθαι λέγει*" cett. Hesych. „*Ὄρκυνος· ἰχθὺς ποιός*" „*Θύννον τὸν ὄρκυνον λέγουσι· τὴν δὲ παλαμίδα, θαυνίδα.*" — Athen. VII, 308, f. „*Εὐθύδημος δ' ἐν τῷ περὶ ταρίχων· τὸν κορακῖνόν φησιν ὑπὸ πολλῶν σαπέρδην προσαγορεύεσθαι· ὁμοίως δ' εἴρηκε καὶ Ἡρακλέων ὁ Ἐφέσιος*" Hesych. „*κορακεύς· ἰχθύος εἶδος*" „*Κορακίας ὁ μέλας καὶ κολοιός, καὶ Κορακῖνος ὁμοίως*" „*Σαπέρδης ὄνομα ἰχθύος· οἱ δὲ ταρίχου εἶδος· ἄλλοι· ὑπὸ Ποντικῶν τὸν καρκίνον ἰχθύν.*" — Ath. XI, 503, a. „*Ἡρακλέων δὲ ὁ Ἐφέσιος· „Ὃν ἡμεῖς, φησι, ψυγέα καλοῦμεν, ψυκτηρίαν τινὲς ὀνομά-*

ζουσιν. τοὺς δ' Ἀττικοὺς καὶ κωμῳδεῖν τὸν ψυγέα, ὡς ξενικὸν ὄνομα" Hesych. „ψυκτήρ, ὃν ἡμεῖς ψυγέα" cfr. ψυκτήριον." — Ath. XIV, 647. „Κοτυλίσκοι. Ἡρακλέων ὁ Ἐφέσιος πλακοῦντάς τινάς φησιν οὕτω καλεῖσθαι" cett. Hesych. „κοτυλίσκος — καὶ πλακοῦντος εἶδος." Ut igitur omnia aptissime quadrant, neque quidquam certius cogitari potest, quam descriptum esse ab Athenaeo non tam Heracleonem, quam Pamphilum: ita simul Italicarum glossarum nullum exstat vestigium. Si autem quaeritur, quid Heracleo Ephesius scripserit, multis ex locis supra dictis, apparebit, glossas eum Atticas potissimum collegisse; ut nil magis memorabile sit, quam haec Schweighaeuseri nota in Ind. Auct. p. 121. „quo ex loco videri possit (VII, 308, f.) scriptum ab eo fuisse librum Ὀψαρτυτικόν; sed rectius, ni fallor, nonnisi γλῶσσαι ὀψαρτυτικαὶ intelligentur, et eae quidem aliis glossis mixtae" quae mihi quidem Schweighaeusero indigna esse semper visa est. His autem explicatis, Valckenarii coniecturam recipiendi nullam adesse idoneam caussam apparet; quanquam quis ille Heraclitus fuerit, dicere nequeo.

Restat igitur nobis primum Diodorus, ex quo Pamphilum hausisse contendit Valckenarius, quae ap. Athen. XI, 487, B, C. 500. f. et omnino sub Blaesi, Rinthonisque nominibus allata sunt. Quanquam autem res, Hesychio comparato, inprimis propter exemplorum inopiam confici nequit: quia epitomator Diodori dicta saepe abiecit: tamen ea credenda est; nisi praeter Diodorum alium quoque audiit, vel potius suo ipsius saepe obsecutus iudicio. Idem de Apionis glossis Romanis sentiendum est. De Diodoro inprimis dignum est, quod adiiciatur Erotiani testimonium, a quo optime glossarum eius indoles describitur, p. 216. gloss. Hippocrat. ed. Franz. Ait enim „Διόδωρος ὁ γραμματικὸς καὶ Ζήνων ὁ Ἡροφίλειος τὸ Κάμορον, Κάμμορον ἢ Καμορόν φασι καλεῖν τὸ κώνειον τοὺς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριέας· οἷον κακόμορόν τι ὄν", quibuscum Hesychius conferendus est, qui s. v. „Κάμμορε· κακόμοιρε" scr. κακό-

μορs. Simul Diodori aetas inde constituitur. Confiteor, me persuasum habere, hunc virum non esse hominem nobis incognitum, sed illum ipsum, cui bibliothecam debemus.

§. 4.

Omnium glossographorum nomina, quorum hactenus meminimus, apud Athenaeum ita apparebant, ut ipse signa proderet, se ipsis libris non usum, ex Pamphilo singulas eorum sententias vocumque interpretationes cognovisse. De aliis, de quibus Athenaeus nihil dicit, comparato lexico Hesychiano, facile idem comperimus. Cuius rei exempla prodere neque nostri Pamphili neque Athenaei gratia inutile erit. Age igitur, praeterea de Timachida Rhodio et Macedone Ameria quaestionem instituam.

Ut ab Timachida incipiam, de quo multi recentiorum commentati sunt, ut Meursius, Rhod. II, c. 18, p. 108. Casaub. ad VII, 283, b. Schweigh. ib. et in Ind. Auct. p. 210. eius duo nobis librorum tituli ab Athenaeo referuntur. Praeter glossarum enim collectionem, δείπνων ἀναγραφὰς versibus composuit; quas Athenaeus, quia ne numerum quidem librorum accurate indicat, haud dubie non possedit, cfr. I, 5, a. „ἢ καὶ πλείοσιν"; nisi alia dubitandi ratio exstitit. Nos nunc glossarum tantummodo collectionem respicimus; saepe ab Athenaeo commemoratam. Athen. XV, 699, e. „Τιμαχ. δὲ ὁ Ῥόδιος· δέλετρον τὸν φανὸν καλεῖσθαι, οἷόν φησιν οἱ νυκτερευόμενοι τῶν νεῶν ἔχουσιν, οὓς οὗτοι ἐλάνας καλοῦσιν" Hesych. „Δέλετρον· φανὸς, ὃν οἱ νυκτερεύοντες φαίνουσι." Schweigh. Animm. VIII, p. 332. φέρουσι corrigit. — Athen. II, 53, c. cfr. Hesych. s. v. Διὸς βάλανοι. — Ath. III, 114, c. „Ἀμερίας δὲ καλεῖ ξηροκυρίταν τὸν αὐτόπυρον ἄρτον· ὁμοίως δὲ καὶ Τιμαχίδας" Hesych. „ψηροκυρίτας· ἀπόπυρος ἄρτος" „οἱ δὲ κυριεφθής· οἱ δὲ κακός," ubi Casaub. „Dubitare non possumus, de eodem pane utrumque loqui, immo eiusdem glossographi verba utrumque describere, Hesy-

chium, si quid iudico sui codices in errorem induxerunt; longe enim Athenaei lectionem antepono.“ Bene contra Casaubonum Schweighaeuserus comparat Hesychianum „μεσόψηρον· ἡμίξηρον“ et dialecticam esse diversitatem sumit. Equidem Hesychii lectionem praefero; eam, quae ap. Athenaeum exstat, emendatione esse ortam credo, quam insolita forma postulare videbatur. In talibus rebus me semper libris ad litterarum ordinem scriptis maiora tribuere confiteor, in quibus, nisi iam ab auctore admissus erat, error non tam facile nascitur et celerius corrigitur. — Athen. ib. e. „βραττίμην τε καλεῖσθαι τὸν πιτυρίτην ἄρτον, ὃν εὔκονον ἢ τεύκονον ὀνομάζουσιν Ἀμερίας καὶ Τιμαχίδας“, ad quae Schweigh. Animm. I, p. 301. „mox deinde ubi εὔκονον ἢ τεύκονον editur, particulam ἢ ignorat noster ms. A. caeterum nil mutat. Nusquam alibi quod sciam vocabula ista occurrunt. Si quis coniecturae esset locus, hariolabar equidem, pro εὔκονόν fortasse ἔγκονον scriptum oportuisse, id est ἐσπευσμένον, deproperatum.“ Vides igitur, quam desperata haec sint. Memoratu autem dignissimum est, fere totam hanc libri partem, in quam 114, b. ita scriptor ingreditur „καὶ οἱ γλωσσογράφοι δὲ ἄρτων ὀνόματα καταλέγουσι“ e solo Pamphili libro haustam videri, sed mire corruptam in nostris exemplis exhiberi. Incipit enim ita „Σέλευκος μὲν δράμιν ὑπὸ Μακεδόνων οὕτως καλούμενον δ' ἄρτον ὑπὸ Θεσσαλῶν“, in quibus δράμιν non tetigerunt, pro δ' ἄρτον autem δάρατον e coniectura Casauboni receperunt. Schweigh. I. p. 267 et 297. In meliorem viam eos reducere poterat Hesychius „δαρόν· μακρὸν χρόνον· καὶ ἐπιπολὺ καὶ ἑορτὴν καὶ ἄρτον τινὲς τὸν ἄζυμον“, unde „δαρὸν“ repono. Pro δράμιν autem, coniicio, scribendum est, „δραιόν“, quod idem est vocabulum; nam Hesych. I, p. 1029. „δραιόν· μακρόν· πυλεόν· quam vocem ad δαρὸν pertinere Albertus et Hemsterhusius viderunt. Πυλεὸν corruptum esse, patet. Sequitur „ἐνίταν δέ φησιν ἄρτον εἶναι λεκιθίτην· ἐρικίταν δὲ καλεῖσθαι τὸν ἐξ ἐρηριγμένου καὶ ἀσήστου πυροῦ γιγνόμενον καὶ χονδρώ-

δους." Recte Casaubonus „ἐτνίταν"; nam Hesych. „Ἐτνίτας ἄρτος· οὕτως ὁ λεκιθίτας." „Ἔτνος· ἐρεγμός· ἕψημα θηρῶδες." 'Ἐρικίτας non repperi; an vox propter notionis similitudinem erat s. v. ἐτνίτας commemorata? ceterum reperiuntur ἐρίκει, ἐρείκει et similia, cfr. Casaub. et Schweigh. ll. ll. Post Timachidae et Ameriae commemorationem, de qua diximus, sequitur „Νίκανδρος δὲ θιαγόνας φησὶν ἄρτους ὑπ' Αἰτωλῶν καλεῖσθαι, τοὺς τοῖς θεοῖς γινομένους" Hesych. „Θιαγόνες· ἄρτοι, οἱ παρετίθεντο τοῖς θεοῖς." Sequitur „Αἰγύπτιοι δὲ τὸν ὑποξίζοντα ἄρτον κύλλαστιν καλοῦσιν· μνημονεύει δ' αὐτοῦ Ἀριστοφάνης·" cett. „ὁ δὲ Θυατειρηνὸς Νίκανδρος τὸν ἐκ τῆς κριθῆς ἄρτον γινόμενον ὑπὸ Αἰγυπτίων κύλλασπίν φησι καλεῖσθαι." Hesych. „Κύλλαστις· ἄρτος τίς ἐν Αἰγύπτῳ ὑπὸ ῥιζῶν ἐξ ὀλύρας." Κύλλασπις abest. Optime et certissime corrigunt ὑποξίζων Casaubonus ap. Schweigh. l. l. Sopingius ad Hesych. II, 374. Adde Herodot. II, 77, et ibi Intptt. Ceterum haec tria id habent commune, ut uno tantummodo in loco apud Hesychium ἄρτος reperiatur. Sequitur „Τοὺς δὲ ῥυπαροὺς ἄρτους φαιοὺς ὠνόμασεν Ἄλεξις" cett. Hesych. „φαιούς· ἄρτους ῥυπαρούς." Sequitur „βλῆμα δέ φησι καλεῖσθαι τὸν ἐντεθρυμμένον ἄρτον καὶ θερμὸν Σέλευκος" Hesych. „Βλῆθα· ἄρτος ἐντεθρυμμένος." Casaub. „scribo cum Hesychio βλῆθα, non βλῆμα." Frustra Schweighaeuserus in antiqua scriptura defendenda desudavit. Pergit Athenaeus „Φιλήμων δ' ἐν πρώτῳ Παντοδαπῶν χρηστηρίων πυρνόν φησι καλεῖσθαι τὸν ἐκ πυρῶν ἀστήστων γινόμενον ἄρτον καὶ πάντα ἐν ἑαυτῷ ἔχοντα. βλωμιλίους τε ἄρτους ὀνομάζεσθαι λέγει τοὺς ἔχοντας ἐντομάς, οὓς Ῥωμαῖοι κοδράτους λέγουσι. βρωτίμην τε καλεῖσθαι τὸν πιτυρίτων ἄρτον", eaque excipiunt ista, quae supra collocavimus. De toto loco ita sentiendum est, inesse quidem Hesychio, quae ad ea ducere videantur, ut s. vv. πύρνοι, βλωμός, βρῶμος, βράττω, sed rem ipsam non reperiri; qua ex re Philemonis librum a Pamphilo non esse receptum, se-

quitur. Quae adiunguntur autem, adesse debent; quo minus ea reperiamus scripturae corruptela impedit, quam fortasse superaturi sumus, si „ἐπιτέρεναι“ scribimus. Habet enim Hesychius, I, p. 1395. „ἐπίτερα· ἐκπιάσματα ἐλαιῶν,“ quae mutari in ἐπίτυρα iubent Stephanus et Merula Cosmogr. P. II, IV, 18. p. 192. Obstat emendationi litterarum ordo. Sequitur autem „ἐπιτέρεναι, εἶδος ἄρτων.“ Quare nescio cui dialecto vocalium υ et ε commutatio fortasse propria est. Advertendum est praeterea Hes. II, p. 964. „πισῆσαι· πιτυρηνοὶ ἄρτοι“ et II, 958. „πήτεα· πίτυρα“ deinde „πητεῖται· πητύριοι ἄρτοι· Λάκωνες.“ Fortasse enim haec quoque reponi possunt. Coniecturarum delectum Athenaei editoribus relinquam.

Iam vero ut reliqua addam, quae ex Timachidae libro citantur, animus impellit. Athen. XV, 678, a „Ἀλλὰ μὴν καὶ Ἰάκχαν τινὰ καλούμενον οἶδα στέφανον ὑπὸ Σικυωνίων, ὥς φ. Τιμ. ἐν ταῖς Γλ.“ Hesych. „Ἴακχα· στεφάνωμα εὐῶδες ἐν Σικυῶνι“ quae sunt verba Philetae. Ath. ib. c. „Ἐπιθυμίδες Τιμ. δέ φησι τὰ παντοδαπὰ στεφανώματα, ἃ τὰς γυναῖκας φερεῖν οὕτως καλεῖσθαι. Ὑποθυμὶς δὲ καὶ ὑποθυμιάδες στέφανοι παρ' Αἰολεῦσι καὶ Ἴωσιν, οὓς περὶ τραχήλους περιετίθεντο, ὡς σαφῶς ἔστι μαθεῖν“ cett. Hesych. „Ἐπιθυμίδες· τὰ παντοδαπὰ στεφανώματα“ „Ὑποθύμιος· στέφανος ὑποτράχηλος.“ — Athen. IX, 369, A. „Ἀμ. καὶ Τιμαχίδας τὰς κολοκύντας ζακελτίδας καλεῖσθαι“ Hesych. „ζακελτίδες· κολοκύνται ἢ γογγυλίδες.“ cfr. Casaub. ap. Schweigh. Animm. vol. V. p. 20. Alb. I, 1571. — Ath. XI, 782. f. „Ὅτι παρὰ Τιμαχίδᾳ Αἰακὶς ἡ κύλιξ καλεῖται“ Hesych. „Αἰακὶξ, κύλιξ.“ Minus aperta sunt, quae de vocc. ὑπόχυτον Alb. I, 31. et ἴσθμιον, XV, 677, d. afferuntur; praeterea autem nihil e glossis occurrit, quanquam alii, ut Harpocratio, interdum eius meminerunt, cfr. Harpocr. s. v. ἐπιβλῆτες et ap. Hesych. Ἐπιβλήτης, ubi Alb. ἐπιβλής, ἐπιβλῆτος suspicatur; Harp. et Hes. s. v. σῖτος sed sub v. Ἀργᾶς, ubi Timarchi Rhodii nomen in nostris codicibus positum est. Maus-

sarus II. p. 119. „Τιμαχίδας" restituendum esse censuit in suasque partes traxit Schweighaeuserum. Dicit Harpocratio „Τίμαρχος δὲ ὁ Ῥόδιος οὐ κατὰ γλῶσσαν καλεῖσθαι τὸν ὄφιν ἀργᾶν φησίν· ἀλλὰ γένος τι εἶναι ὄφεων τοὺς ἀργᾶς" Hesych. „Ἀργάς· ὄφις." Potest vera esse emendatio: atque advertit me vox „κατὰ γλῶσσαν"; ita enim interpretari solebat Timachidas, cfr. Harpocr. s. v. σῖτος; sed id ipsum magis Timachidae adversarium iudicare non immerito videbitur, qui talem eius interpretationem refutare studuerit. Quare cunctor equidem.

Hactenus ea praeterii exempla, quibus Δείπνου vel Δείπνων Timachidae libros Athenaeus produxit. Sunt autem haec „Ἑσπερίδων δὲ μήλων οὕτως καλεῖσθαι τίνα φησὶ Τιμαχίδας ἐν τῷ τετάρτῳ εἰπών." Athen. III, 82, d. Emendat Schweigh. Animm. I. p. 323. pro voce εἰπὼν Δείπνων titulo non male reposito; cfr. Ind. Auct. p. 210. De Hesychio iam diximus antea. Haec enim ex Pamphilo esse accepta Athenaeo, non obscure monstrat Pamphili mentio cum Timachidae simul iniecta „καὶ ἐν Λακεδαίμονι" pergit scriptor „καρατίθεσθαι τοῖς θεοῖς φησι Πάμφιλος" cett. Ath. VII, 283, c. „Μνημονεύει τῶν κομκίλων καὶ Τιμαχίδας ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ ἐνάτῳ τοῦ Δείπνου" cett. Hesych. "κομκίλος· ποιὸς ἰχθύς." cfr. Aelian. Hist. Anim. XV, 23. Ceterum in libro decimo et quinto, bis eius nomen recurrit p. 682, c. de voce εὐόμφαλον, de qua cfr. Hesych. s. v. εὔομφα ibique interprett. et 684, f. de voce Θήσειον, cfr. Hesych.

Explicatis igitur his omnibus, Timachidae libros a Pamphilo excerptos ita in Athenaei notitiam librumque eius magnum transiisse, nemo infitiabitur. Idem de Ameria sentiendum est glossographo, qui quoniam non raro cum Timachida coniungitur, iure quodam suo, ut non praetereatur prorsus, postulat.

Apud Athenaeum duodecim in locis commemoratur, propter γλώσσας et ῥιζοτομικός, et libri titulo non addito, quae testimonia pleraque e glossis decerpta bene coniecit

Schweigh. Ind. Auct. p. 25. Nos, quae iam tetigimus, Athen. IV, 176, c. III, 114, c et e, IX, 369, A, eorum nunc non meminimus iterum, et mittimus quoque, quae ex Ῥιζοτομικῷ XV, 681, f. allata sunt, in Hesychio non reperta. Restant igitur II, 52, c. „Ἀμ. δέ, φησι μύκηρον τὴν ἀμυγδάλην καλεῖσθαι" Hesych. „μύκηρος· ἀμυγδαλῆ." — Ath. III, 676, e. „Ἀμ. δὲ ἐρινακὰς καλεῖσθαι τοὺς ὀλύνθους" Hesych. „Ἐρινάδες· ὄλυνθοι" unde corrigi debet Athenaeus. — Ath. VI, 267, c. „Ἀμ. δὲ ἑρκίτας φησὶ καλεῖσθαι τοὺς κατὰ τοὺς ἀγροὺς οἰκέτας" Hesych. „Ἑρκῆται· οἱ ἐν ἀγρῷ οἰκέται." cfr. Casaub. Animm. III. p. 571. Ath. X, 425, c. „παρὰ δὲ Ἐφεσίοις οἱ οἰνοχοοῦντες ἠΐθεοι τῇ τοῦ Ποσειδῶνος ἑορτῇ ταῦροι ἐκαλοῦντο, ὡς Ἀμ. φησί" Hesych. „Ταῦροι, οἱ παρ' Ἐφεσίοις οἰνοχόοι." — Ath. XI, 485, d. „Ἀμ. δέ φησι τὴν οἰνοχόην λεπαστὴν καλεῖσθαι" Hesych. „Λεπαστύς· οἰνοχόη." cfr. Schweigh. Animm. VI. p. 200. — Ath. XV, 701, a. „Ἑλένη δὲ ἡ λαμπὰς καλεῖται, ὡς Ἀμ." Hesych. „Ἑλένη· λαμπάς." — Ath. Ib. 699, e. „Ἀμ. δὲ γράβιον τὸν φανόν." Hesych. s. v. „γραπτῦς." cfr. Bekk. Anecdd. p. 789. Nihil igitur est, quo non eo ducamur, ut Ameriam quoque inter eos recenseamus, quos Pamphilus in suo lexico receperat, et ex Pamphilo Athenaeus cognovit. Neque dubitare licet, quin Pamphilus ipsa eorum verba servaverit, cuius rei exemplum de Timachida servatur etiamnum ap. Hesych. s. v. Πυριβρεμέτας. Ameriae nomen permultis est in locis servatum, quorum recensum Alberti index exhibet.

Hic modum statuere rerum memorandarum multitudini possem, nisi animus impelleret reique ipsius pondus, pauca de iis glossis ab Athenaeo explicatis addere verba, in quibus glossographi nomen, cuius est ea interpretatio, adiicere scriptor supersedit. Vidimus enim hactenus, quem in modum Athenaeus, quae in Pamphilo suo reperiebat, in suum verteret usum, et quod valde reprehendi nequit, sua quibusque glossographis, Pamphilo eorum collectore non memorato, redderet. Superest ut ostendam, saepe ex Pamphilo eum

accepisse, quae tanquam sua ipsius interpretamenta protulisse plerisque visus erat. Sed ne nimis exspatier, paucis defungar. Ath. X, p. 424, c. de voce „κύαθος“ „καλοῦνται δὲ καὶ ἀρυστῆρες καὶ ἀρύστιχοι (sequuntur testimonia) Ἔνθεν καὶ ἡ ἀρύταινα. Ἔλεγον δὲ καὶ ἔφηβον τοιοῦτον σκεῦος, ὡς Ξηνοφάνης ἐν Συγγενικῷ“ Hesych. Ἀρυστίχους· τὰς οἰνοχόας, τὰς κοτύλας· ἀπὸ τοῦ ἀρύειν, ἔνθα καὶ ἡ Ἀρύταινα· ἔλεγον δὲ καὶ ἔφηβον τὸ τοιοῦτον σκεῦος,“ ubi Kusterus adnotaverat, (ap. Albert. p. 562.) „haec videntur sumpta esse ex Athen., a quo nos nimium quantum recedimus.“ Athen. XI, 468. f. „Ἐλέφας· οὕτως ἐκαλεῖτο ποτήριόν τι, ὡς Δαμόξενός φησιν ἐν Αὑτὸν πενθοῦντι·

> Α. Εἰ δ' οὐχ ἱκανόν σοι, τὸν ἐλέφανθ' ἥκει φέρων
> ὁ παῖς. Β. Τί δ' ἐστὶ τοῦτο πρὸς θεῶν. Α. Ῥυτὸν
> δίκρουνον, ἡλίκον τι τρεῖς χωροῦν χοάς“ cett.

Hesych. „Ἐλέφαντα· — ῥυτὸν, τρεῖς χοὰς χωροῦν.“ Adverte accusativum, qui utrumque scriptorem de eodem hoc loco loqui docet. Ceterum retinui, comparato Hesychii loco, χωροῦν, quod mutaverat Schweighaeuserus. — Athen. p. 475, d. „Ὅτι δὲ καὶ ἀπὸ Κανθάρου κεράμεως ὠνομάσθη τὸ ἔκπωμα, φησὶ Φιλέταιρος ἐν Ἀχιλλεῖ“ Hesych. „Κάνθαρος· ποτηρίου εἶδος· ἀπὸ τοῦ κατασκευάσαντος.“ — Athen. XI, 486, f. „Μετάνιπτρον· ἡ μετὰ τὸ δεῖπνον, ἐπὴν ἀπονίψωνται διδομένη κύλιξ. Ἀντιφάνης, Λαμπάδι — Δίφιλος Σαπφοῖ“ Hesych. „Μετάνιπτρος· ἡ Μετανιπτρίς· ἡ μετὰ τὸ δεῖπνον, ἐπὰν νίψωνται, διδομένη κύλιξ.“

Quid plura? magnam Athenaei et Hesychii partem describeremus, si quae in utroque eadem et ita comparata sunt, ut Athenaeus ex Pamphilo ea excerpsisse videatur, congerere vellemus. Quanquam igitur exemplorum nubem habemus, qua firmare, quam diximus sententiam liceat, ἐπέχομεν tamen, rei demonstrandae satisfecisse nos opinati.

§. 5.

Haec de Athenaeo; quo si caruissemus teste, Suidae ereptus fuisset summus sospitator; qui ab omnium adversariorum conatibus fortiter eum defendit. Etenim si non caecus equidem laevique sum animi, Diogenianum Pamphili excerpsisse libros, sole lucis clarius ex his apparuit. Quid enim est, in quo haereamus, qui viderimus, Diogenianum, Pamphilo iuniorem, ea ipsa in sua glossarum collectione, quae habuit ille, recepisse, et, omissis scriptorum veterum grammaticorumque nominibus, praeterea fere omnia descripsisse? Quid enim? credisne Diogenianum, opera Pamphili neglecta, improbum istum laborem ultro suscepisse lexica inspiciendi vetera, et utilia scituque haud digna excerpsisse? Credat Iudaeus Apella! non ego! neque alium quenquam ita opinaturum esse, confido.

Sed nondum perfecta est demonstratio nostra: quia scriptores, qui Pamphili glossarum meminerint, praeter Athenaeum restant aliqui; dico Etymologici Magni conditorem, eumque qui Venetorum Homericorum scholiorum collectionem instituit. Rerum autem, quas ab his accepimus, propria quaedam est ratio. Ut enim omnino codices Veneti, qui illa scholia continent, criticis inprimis rebus et grammaticis conspicui sunt, Wolf. Prolegg. ad Hom. p. XI seq.: ita etiam plurima pars eorum, quae e Pamphilo habent, ad res grammaticas spectant. Neque aliter de Etymologo iudicandum est, qui Pamphili libros non legit ipse, sed ex Herodiano cognovit, viro inter grammaticos eximio, librisque grammaticis suis laudatissimo.

In Veneto codice Pamphili nomen primum inter ea apparet, quae in nono folio paginae aversae inscripta sunt. Bekk. p. III, praef., quos esse fontes, e quibus hauriuntur scholia, patet. Deinde in his singulis, ad. A, v. 863. „προπαροξύνεται τὸ εἴδομεν· ἀπὸ βαρυτόνου τοῦ εἴδω· οὐ θαῦμα δὲ, εἰ τὸ αὐτὸ καὶ ὡς βαρύτονον καὶ ὡς περισπώμενον κλίνει· ἢ ὅτι ἄνθ' ὑποτακτικοῦ ἐστι καὶ

ἡ συστολὴ ἀνέδωκε τὸν τόνον· οὐ γὰρ παροξύνομεν κατὰ τὸν Πάμφιλον." Bekk. p. 31, 44 — 47. — Ib. p. 39, 26 seqq. ad Il. *Α*, 493. „ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο· Ἀρίσταρχος ὁτεδὴ ὡς δηλαδὴ παραλόγως ἀνεγίνωσκε· Πάμφιλος δὲ ὅτε κατ' ἰδίαν ἀναφορικόν· ἀναλόγως" cett. — Ib. 65, b. 27. ad Il. *Β* 262. „Ἀρίσταρχος περισπωμένως ἀναγινώσκει ὁμοίως καὶ τὸ „ἠῶ δῖαν ἔμιμνε· καὶ ἡμεῖς δὲ αὐτῷ συγκατατιθέμεθα. Διονύσιος δὲ ὁ Σιδώνιος ὀξύνει· Πάμφιλος δὲ πάσας τὰς τοιαύτας αἰτιατικὰς περισπᾷ. Λητῶ γὰρ δ' ἥλκησε „καὶ Πυθῶδ' ἐρχομένην, ἐπεί φησι Λητόα ἐστὶ καὶ Πυθόα." — Ib. p. 82. b, 49 seqq. ad *Β*, 523. πηγῆς ἔπι „Πτολομαῖος ἀναστρέφει καὶ Πάμφιλος· Ἀλεξίων συντάσσει τῇ γενικῇ τὴν πρόθεσιν καὶ οὐκ ἀναστρέφει. Ἀρίσταρχος δὲ τοῖς κυριωτέροις συνέτασσε τὰς προθέσεις." — Ib. p. 84, a, 43. ad *Β*. 557. „δυοκαίδεκα. Πάμφιλος τρία ποιεῖ καὶ κατὰ παράθεσιν ἀναγινώσκει. ἀφορμὴν δὲ ἔχει ἡ κατὰ σύνθεσιν ἀνάγνωσις τὴν ποιητικὴν χρῆσιν" cett. quae contractiora praebent codd. Venetus alt. et Lips. „ὑφ' ἓν ἀναγνωστέον καὶ ἔστι ποιητικὴ ἡ χρῆσις." — Ib. p. 240, a, 8. „Νικίας καὶ Πάμφιλος δασύνουσι τὸ αμυδις, ἐπεὶ παρὰ τὸ ἅμα ἐγένετο· ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης καὶ οἱ περὶ Ἀλεξίωνα ψιλοῦσιν, πολὺ δὲ πρότερον καὶ οἱ περὶ Ἀρίσταρχον, καθότι, φασί, φιλεῖ πως τὰ ἀπὸ δασέων πως πολλάκις μετασχηματιζόμενα ψιλοῦσθαι." — Ib. 274, a. 43. ad Il. *Κ*. 18. „ἡ διπλῆ, ὅτι Πάμφιλος τὴν ἐπὶ ἀναστρέφει· πιθανώτερον δέ ἐστι τὸ ἀκόλουθον φυλάττοντες ἀναγινώσκειν ἐπὶ πρῶτον Νέστορα. Οὕτως ὁ Ἀσκαλωνίτης." — Ib. 326, 8, seqq. ad *Λ*, 659. „οὐτάμενοι· Ἀρίσταρχος ὡς ἱστάμενοι καὶ κιχράμενοι· Πάμφιλος δὲ, ὡς δεδαρμένοι· ἐπεὶ καὶ τὸ βεβλημένοι συντελικόν· καὶ δοκεῖ τὸ τοιοῦτον ἀπὸ ἑνικοῦ ἀριθμοῦ πολὺ πρότερον τεθεωρῆσθαι παρ' αὐτῷ. φησὶ γάρ· „„οὖτ' αὐτοσχεδίην οὐτασμένος ὀξεϊ χαλκῷ"". συντελικῇ γὰρ μετοχῇ συντελικὴν ἐπήνεγκεν· οὕτως οὖν καὶ ἐπὶ τῶν πληθυντικῶν ἀναγινώσκειν ἔδει." — Ib. 358, 34. „Ἀρίσταρχος βαρύνει τὸ θώων καὶ ἐπείσθη ἡ

παράδοσις· ὁ δὲ Πάμφιλος περισπᾷ, ἐπεὶ τα εἰς ες λήγοντα δισύλλαβα ὀνόματα ἐπ' εὐθείας πληθυντικῆς ἔχει γενικὴν περισπωμένην· διὸ καὶ τὸ Τρώων καὶ δρώων καὶ παίδων ἀνεγίνωσκε περισπῶν· ἔτι δὲ καὶ τὸ πάντων καὶ λάων καὶ τίνων, περὶ ὧν λόγον ἔδωκαν καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν καὶ ἡμεῖς", quibus conferenda sunt, quae sequuntur „*τὸ δὲ θώων ἔνιοι περισπῶσιν, ἵν' ὁμοτονῇ τῷ θηρῶν καὶ κυνῶν.*" — Ib. p. 627, b, 50 seqq. ad *Ω*, 8, „*πείρων· Πάμφιλος περισπᾷ, λέγων τὴν πρόσθεσιν τοῦ ι μὴ ἐξαλλάσσειν τὸν τόνον· εἰ δὲ περῶ οἶδεν ὁ ποιητὴς τὸ ῥῆμα καὶ περόωσι καὶ „περάα μέγα λαῖτμα" δῆλον ὅτι καὶ πειρῶν· ὁ μέντοι Ἀρίσταρχος βαρύνων ἀναγινώσκει, ὡς κείρων.*" Cum his arctissime conveniunt, quae in Etym. M. legimus p. 668, 30. „*πείρων ἀντὶ τοῦ περῶν. Ἰλιάδος Ψ. Πάμφιλος περισπωμένως, λέγων τὴν πρόσθεσιν τοῦ ι μὴ ἐξαλλάσσειν τὸν τόνον· ὁ μέντοι Ἀρίσταρχος βαρύνει*" cett.

Haec omnia codex Venetus, a Bekkero cod. A appellatus; addunt praeterea cod. alter Venetus et Lips. p. 8, a, 3. „*θαμειαί, Πάμφιλος λέγει θαμεῖαι, ὡς ὀξεῖαι· Ἀρίσταρχος δὲ ὡς πυκιναί· ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ταρφειαί*" et cod. Ven. *B*, p. 644, a, 3, ad Il. *Ω*, 496. „*ὑφ' ἓν τὸ ἐννεακαίδεκα. Πάμφιλος δὲ εἰς τρία διῄρησε μέρη.*" et Etym. Magn. p. 296, 26 — 28. „*ἵνα εἴδομεν ἄμφω· ἡ δὲ συστολὴ ἀνέδωκε τὸν τόνον· οὐ γὰρ παροξύνεται κατὰ τὸν Πάμφιλον.*" p. 521, 32. de voce „*κμέλεθρα*" „*λέγει δὲ ὁ Ἡρωδιανὸς, τὸν Πάμφιλον ἀναγαγεῖν τὸ κμέλεθρον· σημαίνει δὲ τὰς δοκούς.*"

Quod perquam mirum nemini non videbitur, omnium rerum ex Pamphilo laudatarum ne una quidem reperitur in Hesychii lexico. Quid igitur? num frustra susceptus est labor omnis; frustra in argumento nullius pretii absumptum tempus? Non credo; non timeo equidem, ne id audiam a viris harum rerum peritis. Nam ad singula accedentes, facile caussam perspiciemus. Sed quum ab solo Etymologo *Πάμφιλος ἐν ταῖς Γλώσσαις* citetur; a reliquis nominetur

Πάμφιλος solum; primum accedamus ad eius locum maxime memorabilem. Loquitur enim Etymologus de voce κμέλεθρον „Δεῖ γινώσκειν, ὅτι τὸ κ πρὸ τοῦ μ οὐδέποτε εὑρίσκεται ἐν ἀρχῇ λέξεως· τοῦ γὰρ πολύκμητος οὐχ εὕρηται ἐν χρήσει τὸ ἁπλοῦν αὐτοῦ· ἤγουν τὸ κμητός· καὶ τὸ κέκμηκα, ὃ δηλοῖ τὸ κεκοπίακα, οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ κμῶ· ἀλλ' ἀπὸ τοῦ κεκάμηκα." Deinceps sequuntur, quae supra attuli. Non dubitabitur, quin tota lex grammatica ab eo viro proposita sit, cui acceptam debet Etymologus Pamphili mentionem; celeberrimum dico grammaticum Herodianum, Apollonii filium; qui, ut statim apparebit, in omnibus reliquis quoque legibus adversarius Pamphilo exstitit. Herodianus autem, Marci Aurelii aetate vivens, lexicon Pamphili legit haud dubie, quod circa quartum, quintum, et sextum saeculum, ut probabile est, ex hominum manibus evanuit. Evolventes autem Hesychii lexicon, κμέλεθρα frustra quaerimus, sed quod non exspectamus, κμητός, quod ipsum Herodianus obpugnat. Quare opinabar primum, vel potius suspicabar, errasse Etymologum, pro κμητός legentem κμέλεθρα. Nam quod addit „σημαίνει δὲ — δοκούς, id quidem non curabam, qui ea verba Etymologi esse additamentum, videram, neque cum plerisque haec ad Pamphilum et Herodianum trahebam. Nihil affirmo tamen; imprimis quum, ut saepe factum est, sub voce μέλαθρα res a Pamphilo explicata, et ab Diogeniano omissa possit esse. Ceterum est haec vox, Schneideri, Buttmanni aliorumque errore memorabilis, qui scripturae vitium apud Stephanum secuti, κμέλαθρον ex Pamphyliorum dialecto petitum esse dicebant; cfr. Schneid. Lex. Graec. s. v. κμέλεθρον, Thiersch Gr. Gr. p. 39. Buttm. Lexilog. II, p. 242.

Deinde Etymologus iisdem paene verbis, quibus scholiasta Venetus, usus, de voce εἴδομεν eiusque accentu loquitur, defenditque contra Pamphilum Aristarchi opinionem. In lexico Hesychiano „εἴδωμεν· μάθωμεν" cett., neque εἰδῶμεν, neque εἰδόμεν. Triplex est grammaticorum opinio. Alii enim duplicem esse coniunctivi formam, εἴδω et εἰδῶ

sumebant, et a priore primae personae pluralem deducebant εἴδωμεν et εἴδομεν; aiunt igitur „οὐ θαῦμα δὲ εἰ τὸ αὐτὸ καὶ ὡς βαρύτονον καὶ ὡς περισπώμενον κλίνει." Alii contra nihil nisi εἰδῶ dici posse opinabantur, veramque esse formam εἰδῶμεν, sed accentum, syllaba media correpta, retrahi: εἴδομεν. Pamphilus denique, unam esse formam εἰδῶ, (non εἴδω) ratus, neque correptioni vim aliquam concedens scripsit εἰδόμεν. Prior sententia Aristarchi, nisi fallor, in Hesychio apparet. Nobis si iudicare licet, Pamphili sententia praeferenda videtur, quam praetulit Fr. Thierschius, Gr. Gr. p. 388, cfr. Matth. p. 451. Buttm. I. p. 573. II. p. 116.

Felicior fuit in suo contra Aristarchum suscepto certamine Pamphilus propter vocem ὁτεδή, quam ille coniunctam scripserat, comparata forma δηλαδή, separandam in duas ὅτε δή. Probabatur ab Herodiano et qui hunc sequebantur eius opinio. Itaque apud Hesychium δηλαδὴ coniunctum exstat, ὁτεδὴ non reperitur. Sed idem si δύο καὶ δέκα et ἐννέα καὶ δέκα scribi iubebat, grammaticis id persuadere non potuit, δυοκαίδεκα et ἐννεακαίδεκα praeferentibus propter ποιητικὴν χρῆσιν, ut aiunt. Neque ullum repperi apud Hesychium eius rei vestigium. Inter antiquissimos, qui Pamphilo contradixerunt praeter Herodianum, aequalis homo, Iulius Pollux dicendus est, qui I. p. 55. „καὶ δυοκαίδεκα" ait, „συνάπτοντες μετὰ τοῦ καὶ, καὶ τὸν σύνδεσμον ὀξύνοντες." et paulo post „καὶ πάλιν ὀκτωκαίδεκα γεγονὼς ἔτη, καὶ ἐννεακαίδεκα, ὁμοίως τῷ δυοκαίδεκα." Ac recentiores plerique eadem professi; cfr. Thiersch. Gr. Gr. p. 324. Lobeck. ad Phryn. p. 409.

Accedo ad ea, quae de accentu accusativorum dicta sunt. Pamphilus enim, si recte intelligo singula, hanc legem „πᾶσα συναίρεσις ἐξ ὀξείας καὶ βαρείας περισπωμένην ποιεῖ" quam grammatici omnes sequebantur, in omnibus accusativis, in όα finientibus, constanter tenuit, scripsitque non ἠῶ solum et αἰδῶ, sed Λητῶ etiam et Πυθῶ. Aristarchi inconstantiam, a Dionysio Thrace quo-

que accusatam, ita evitavit, sed ab Herodiano refellebatur, qui contra eum aliam legem proposuit „πᾶσα πτῶσις ὁμοφωνήσασα τῇ εὐθείᾳ καὶ τὸν τόνον αὐτῆς ἔχει“ et ita Aristarchum defendere studuit; cfr. Anecdd. Bekk. III. p. 1159. ubi Herodiani canon exponitur, ib. p. 994, 19. seqq., ubi Theodosius eundem proponit, et ib. p. 1203, ubi Choeroboscus eum diiudicat, novumque addit regulae augmentum. In Hesychiano lexico legimus „Πυθῶδε ἡ ὁδὸς“ sed praeterea nihil. Recentiorum grammaticorum Matth. p. 177. et Buttmannus, I. p. 188. Herodiani rationem tuentur cum plerisque aliis, Thierschius autem p. 58. Dionysii Sidonii sequitur rationem, qui ὀξυτόνως omnia scribenda esse censuit. Buttmannus Pamphilum ab pronuntiandi ratione vulgari recessisse, eamque ab Herodiano defensam esse credit; qua in re assentirem illi, nisi inter acutum et circumflexum in longis syllabis in pronuntiatione hominum levissimum fuisse discrimen, intelligeretur. Equidem igitur in his quoque, Pamphilum non inepte contra praeceptoris canonem pugnasse censeo.

In anastrophe observanda tam severus fuit, ut licet adiectivum sequeretur, si substantivum praecessisset, eam semper admitteret, cfr. Reiz. de accent. inclin. p. 123., Wolf. praef. ad Odyss. p. 18. Buttm. II, 300. Eius rei ne potest quidem in Hesychiano lexico vestigium reperiri; ab eo prorsus aliena.

De spiritu vocis ἅμυδις, quem Pamphilus admisit, apud Hesychium, quamvis paullo obscurius, docemur: „ἅμυδις, ἅμα, ὁμοῦ.“ Quanquam enim ἄμυδις scriptum est: est tamen explicatum ἅμα. In his quidem Pamphilus nimis severe legem suam contra usum mihi quoque adhibuisse videtur.

Vox οὐτάμενοι ab Pamphilo οὐταμένοι scripta est. Matthiaeus I. p. 479. scribit οὐτάμενοι, sed ut Pamphilus pro perfecto habuit. Apud Hesychium nihil apparet.

Praeterea in tertia nominum declinatione Pamphilus contra aliorum consuetudinem voces disyllabas in genitivo casu perispomenas esse voluit, quae Dorum propria erat ratio.

Quare in his quoque legem constantem efficere studuit, cfr. Theodos. canon. p. 1005. et Choerob. schol. p. 1256. in Bekkeri Anecdotis. Adde quae Matthiaeus laudavit, I. p. 169. In Hesychio legimus θώων Alb. I. p. 1758. et πάντων I. p. 855. et similia alibi.

Denique πειρῶν pro πείρων scripsit: sed neque reliquis grammaticis id persuasit, neque ut epitomator id reciperet nactus est.

Iam quoniam omnia congessimus et recensuimus, quaerere possumus, quomodo factum sit, ut in Hesychiano lexico nihil appareat. Ac primum quidem de glossographo Pamphilo haud dubie cogitandum est, quia is Aristarcheus dicitur, et celeberrimus erat, quem solum simpliciter Pamphilum nominare poterant. Huius autem quum τέχνη κριτική apud Suidam citetur, non procul absumus ab coniectura, omnia talia in ea fuisse obvia. Sed quanquam vero id non est dissimile, tamen in lexico suam ipsius scribendi rationem auctorem secutum esse, necessario sumi debet. Nullo igitur artificio a caussa dicenda liberamur. Primum autem meminisse iuvat, Hesychium in epistola sua se scribendi rationem Herodiani secuturum esse polliceri. Ita enim quis mirabitur, si ea, quae apud Pamphilum contra Herodiani rationes dicta erant, evanuerunt? Suspicor adeo, quaecunque in scholiis Homericis et Etymologico Magno de Pamphilo citantur, ab Herodiano producta esse et huic deberi soli. At quaeri potest, ante Hesychium quae Diogenianus omiserit et mutaverit; idque, nonnisi de consilio Diogeniani si certiores facti sumus, decernere licebit.

Quod in Graeca lingua Pamphilus efficere studuerat, ut, qui graecis scriptoribus inprimis poëtis operam suam navaret, omnes voces difficiliores rarioresque et interpretatione egentes collectas haberet: id in Latina Sextus Pompeius Festus praestare voluit. Utriusque autem scriptoris libri eodem fato usi et ab aliis excerpti sunt, ut habiliore forma a studiosis legi possent; sed Festi pars quaedam ad nostram aetatem servata est, Pamphilus totus amissus; ac Diogenianus postea

iterum in alius manus incidit, Paullus Diaconus autem intactus nobis relictus est. Iam quum cogitari possit, Paullum et Diogenianum ut Pamphilum et Festum eodem usos esse consilio, audiamus, quid Paullus de suo opere locutus sit. Ait autem „Festus denique Pompeius Romanis studiis affatim eruditus, tam sermonum abditorum, quam etiam quarundam caussarum origines aperiens, opus suum ad viginti usque prolixa volumina extendit: *ex qua ego prolixitate superflua quaedam et minus necessaria praetergrediens* et quaedam abstrusa penitus stylo proprio enucleans, nonnulla ita ut erant posita relinquens, hoc vestrae celsitudini legendum compendium obtuli.“ cfr. Auctt. lat. ling. ab Dionys. Gothofr. collect. p. 242. Idem voluisse Diogenianum, operis inscriptio, quam capite tertio explicavimus, docuit, quo ipse omissa esse superflua indicabat. Iam vero si Festi opus cum Paulli epitome comparamus, quid illud sit praetermissum et pro superfluo habitum, facile apparet. Sunt enim prae ceteris abiecta veterum scriptorum testimonia; deinde nomina eorum, qui singula vocabula interpretati sunt; ut s. v. *maiorem consulum*; deinde quae ex historia addita erant, ut s. v. *Mamertini*; praeterea si diversae aliorum referebantur sententiae, ut s. v. *Quintipor*; denique multa alia, quae de vocibus dicta sunt; adeo singulae voces quaedam apud Paullum frustra quaeruntur. Verisimile est, eadem via Diogenianum progressum esse. Quod si sumimus, in λέξεις earumque multitudinem intentus, uberiores de eius scribendi ratione disputationes ut ab argumento alienas, praetermittere facile potuit.

Quae si vera sunt, uterque et Diogenianus et Hesychius, viribus coniunctis, effecerunt, ut rerum supra memoratarum nulla amplius reperiretur, dum alter uberiores disputationes de formis et declinationibus similibusque rebus sustulit, alter Herodiani rationem scribendi secutus scripturam non raro mutavit.

§. 6.

Hactenus quae e Pamphili lexico apud diversos scriptores exstant vidimus eiusque fragmentorum collectionem, quantum id a nobis praestari poterat instituimus. Nunc ad alium locum venimus, quo totam quaestionem absolvi quum ab initio speravissem, nunc in tantam difficultatem proiicior, ut me desperasse interdum confitear. Quod etsi iniucundum est enarrare, proferre tamen et quid sit, quoque vincatur modo ostendere non dubitabo.

In scholiis Homericis, codice Veneto altero et Lipsiensi, ad Il. *E*, 576. de voce *ἀτάλαντον* legimus: „*τὸ τάλαντον ὁ μὲν Ἀριστοτέλης ἄλλως ἐξηγεῖται, καὶ εὑρήσειν τοῦτο ἔμπροσθεν εἰς τὸν οὕτως ἔχοντα στίχον,* „„*ὣς φατο, Μηριόνης δὲ θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηϊ.*““ *ὁ δὲ Διόδωρος, ἐν τῷ περὶ σταθμῶν, τάλαντόν ἐστι μνῶν ξ́, ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ρ́, ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολῶν στ́, ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκῶν ή, ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτῶν ζ́· τὸ τάλαντον δὲ τὸ νῦν λεγόμενον Ἀττικὸν, παρὰ δὲ Σικελιώταις τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν μνῶν κδ́ νῦν δὲ ιβ́. δύναται δὲ εἶναι τρία ἡμιωβόλια, ὡς ἐν τοῖς περὶ Σώφρονος Ἀπολλόδωρος ἐκ τῶν Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς Ἑλληνικῶν ὀνομάτων,*“ cum quo loco coniungendus est alter ad Il. *β*, 169, ad quem scholiasta ipse provocat et ad Il. *ψ*, 269. En! hic clare memoratam Diogeniani epitomen lexici! Noverat id iam Ruhnkenius, praef. ad Hesych. p. 10. neque tamen magni fecit, sed securus neglexit, alium opinatus librum indicari et ab Hesychiano lexico omnino diversum. Nos non tam celeriter absolvimus reperta. In Hesychio frustra adimus vocem „*τάλαντον*“ ubi II. p. 1340. nihil nisi „*τάλαντα· ζυγά· σταθμοί*“ p. 1341. „*ταλαντέων· μεδίμνων καὶ σταθμίων*“ „*Τάλαντον· σταθμὸς, ζυγός· ὁλκὴ λιτρῶν ἑκατὸν ἢ ἑκατὸν εἰκοσιπέντε ἢ ἑκατὸν ἑξηκονταπέντε ἢ τετρακόσια ἢ χίλια ἑκατὸν πεντηκονταδύο*“ ad quae accedit, quod est contra alphabeticum ordinem ex Epiphanio II. pag. 183. insertum, „*Τάλαντον λίτραι ἑκατὸν εἴκοσι πέντε κατὰ τὸν μέγαν Ἐπιφάνιον.*“ At quum Heynius, qui fra-

gmenta ex Apollodori libro περὶ Σώφρονος servata collegit, et hunc locum nostrum non neglexit (cfr. Apollod. biblioth. I. p. 438), utrum τάλαντον intelligi debeat ad vocem δύναται, dubitaverit: posset aliquis credere, μνᾶν intelligendam potius esse. At ibi quoque, II, 610, nihil nisi insiticiam et alieno loco positam glossam invenimus „Μνᾶ. λίτραι δύο. ὁ δὲ ἅγιος Ἐπιφάνιος λίτρας μιᾶς δίμοιρον“ quae ex Epiphan. de Mens. et Ponder. II. p. 183. D. corrigenda sunt et ab interpretibus Hesychii correcta. Neque alia via proficimus maiora. Nam quum in simili loco, ubi Aristotelis verba referuntur, apud Pollucem νούμμων scriptum fuerit, id apud nostrum quoque reposuerunt, cfr. Bentl. de Epist. Phalar. I. p. 409. ed. Böttig. Hanc igitur vocem in Hesychio quaerentes, ita quoque felici exitu privamur, quia vox nusquam reperitur. Denique ad nomen Apollodori et Sophronis animum advertentes, — nam recte Heynius Diogenianum usum esse Apollodori auctoritate iudicavit, l. l. — videmus quidem Apollodori mentionem apud Hesychium non raro iniici, sed nusquam aliquid de nummis, quod esset ex Apollodoro citatum, conspicimus.

Ante omnia autem accurate indagandum est, quid ab scholiastis Diogeniano tribuatur; quod ut discamus, comparandi sunt aliorum loci, quibus de eadem re agitur. In Polluce lib. IX, cap. VI, §. 87. haec exstant: „Τὸ μέντοι Σικελικὸν τάλαντον ἐλάχιστον ἴσχυε· τὸ μὲν ἀρχαῖον, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει, τέσσαρας καὶ εἴκοσι τοὺς νούμμους· τὸ δὲ ὕστερον δυοκαίδεκα· δύνασθαι δὲ τὸν νοῦμμον τρία ἡμιωβόλια“ pro quibus olim legebatur ὁμόλια, Sylburgius et Stephanus ὀβόλια voluere, Budaeus ἡμιοβόλια coniecit, Salmasius τρίτον ἡμιωβόλιον reposuit. Haec igitur si cum nostris scholiastae verbis comparamus, nihil diversi reperitur, nisi quod pro voce νούμμων μνῶν exstat, et deinde εἶναι pro τὸν νοῦμμον, in fine denique legitur „ἡμιβόλια“ in codice, quod mutavit Bekkerus in ἡμιωβόλια. Heynius ad Apollod. ἡμιόλια suspicatus est. Praeterea *I.* Camerarius in libello de Numism. annotationem in Orat. Na-

zianzeni ἐπιταφίῳ εἰς πατέρα lectam adscripserat, referente Iungermanno ad Polluc. II. p. 1068. „τὸ τάλαντον· ὥς φησι Διόδωρος περὶ σταθμῶν, μνῶν ἐστιν ἑξήκοντα, ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ἑκατόν, ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολῶν ἕξ· ὁ ὀβολὸς χαλκῶν ἕξ· ὁ χαλκοῦς λεπτῶν ἑπτά· τὸ τάλαντον δὲ Ἀττικόν· παρὰ δὲ Σικελιώταις τὸ ἀρχαῖον ἦν μνῶν εἰκοσιτεσσάρων· νῦν δὲ δώδεκα· δύναται δὲ ὁ νόμος τρία ἡμιοβόλια“ in quibus priore loco pro νούμμων idem μνῶν repositum est, posteriore autem ad veriora reditur; cfr. Montfaucon. Diar. Ital. p. 214. Eadem, additis quibusdam et abiectis ultimis illis „δύναται δὲ“ et quae sequuntur, apud Suidam habentur. Iam quid sibi vult illa trium testium commemoratio: Aristotelis, Diodori et Apollodori? Ego si quid video, primum ne in errores incidamus Aristotelis sententiam ab opinione Diodori seiungamus necesse est: quae cum his composita nihil nisi peccata parit. Diodori autem et Apollodori dicta, si Suidam cum scholiasta nostro comparamus, facillime seiunguntur. Nihil enim refertur iure ad Apollodorum, nisi ultima illa „δύναται δ' εἶναι τρία ἡμιβόλια“ idque vidit iam dudum Heynius. Quae si vera sunt, simul de talento sermonem esse evincitur, non de minis, neque de nummis, ut scholiasta Nazianzenus existimavit; quam in rem comparandum est schol. ad Il. XXIII, 269. „εἶχε δὲ ποτὲ μὲν ἑκατὸν δραχμάς, ποτὲ δὲ πεντήκοντα, ποτὲ δὲ λ', ποτὲ εἰκοσιτέσσαρας, ποτὲ δ', ὥς φησι Τίμαιος, καὶ τὸ τελευταῖον μίαν.“ His Apollodori sententia facile adiungitur, neque necessarium est, de Siculo talento haec intelligi, quia Apollodorus de Sophrone ubi de Siculo agebat talento, aliorum talentorum pretium comparare non inepte poterat. Quae si vera sunt, ut sunt meo iudicio, Müllerus, vir vere eximius, recte totum hunc locum, si de Sicula pecunia quaeratur, nullius esse momenti iudicavit: cfr. Geschicht. Hellen. Stämme und Städte, III. p. 216. seq. Etrusker I. p. 314; neque necessarium est, pro τρία ἡμιοβόλια cum Salmasio scribere „τρίτον ἡμιοβόλιον.“

Id vero ipsum quod in Hesychio non reperitur, non mirum est, quia s. v. τάλαντον, omissis testium nominibus,

de varia vocis *τάλαντον* notione non accurate disputavit. Itaque hoc quoque testimonio esse potest, Diogenianum non ipsum condidisse lexicon, sed excerpsisse tantummodo Pamphili libros. Cogor autem praeterea ad scholiastam Nazianzeni recurrere; de quo certius loqui possem, nisi Montefalconii libro carerem. Suspicor autem ea verba, quae supra tractavi „*ἐκ τῶν Διογενιανοῦ ἐπιτομῆς τῶν Οὐηστίνου Ἑλληνικῶν*“, scholio Camerarii addenda esse: ita ut apud utrumque scholiastam idem liber indicetur. Nisi fallor igitur, non est ibi de Iustini historiis graecis, sed de vocum collectione sermo; neque male Valckenarius iis lectis, meminit Vestini, quem Suidas Pamphili epitomen scripsisse auctor est, s. v. *Οὐηστῖνος*. Quum autem Diogenianus epitomen scripserit quinque libris; et Vestinus eandem quattuor libris comprehenderit: absonum esset, si quis ex Vestino Diogenianum iterum epitomen fecisse coniiceret. An est hoc de „*ἐκλογαῖς ὀνομάτων ἐκ τῶν Δημοσθένους βιβλίων*“ et similibus intelligendum, quas Suidas recenset? Equidem nihil certi affirmem. Ad Pamphilum autem his quoque trahimur.

§. 7.

Posteaquam recensuimus, quae de Diogeniani epitome lexici Pamphiliani conquiri poterant: de eius conatibus certum iudicium ferre, sine difficultate suscipitur. Voluit enim efficere, ut quas congesserat Pamphilus, *λέξεις*, sive *γλώσσας*, eae facilius tractarentur et a pluribus pararentur. Itaque eorum utilitati inprimis prospexit, qui quum scriptores veteres legerent, inusitatas et priscas voces evolvere, et quae doctorum de eorum notione sententia fuerit, cognoscere cupiebant. Quid enim ad eos, si singula scriptorum verba addebantur, quae eo momento legebant? Non adiuvabantur illi, si longae disputationes de scribendi ratione aliisque rebus admiscebantur. Illorum igitur studiis adiumenta optima paravit. Praeterea libri molem minuere, eumque pretio pa-

nobiliorem reddere studuit. Aderant enim etiamtum veteres poëtae scriptoresque, quos nunc amissos esse lugemus.

Sed tempus est, ut ad Hesychium redeamus, cuius caussa omnem hanc disputationem instituimus. Quaerebatur enim, quid sit, quare Hesychius nihil de Pamphilo cognoverit, et sibi in manibus esse librum ab Diogeniano conditum existimarit? et, quod addendum est, quare Photium quoque id fugerit? Ac primum quidem Pamphili liber, postquam duae epitomae natae erant, describi desiisse videtur. Id argumentum non improbabile esse quanquam negari nequit, tamen non sufficit ad demonstrandum, quod volumus. Quod enim nos ex Suida didicimus, qui potuisset Photius ignorare, cui tot erant adiumenta, nobis erepta? Quam ob rem alia nobis est ratio quaerenda. Suidas librum Diogeniani e Pamphilo excerptum dixit esse; nos id probavimus. Sed quid? si maximam partem a Pamphilo accepisset, alia addidisset ipse, nonne ita quoque, si universe loquimur, eius librum epitomen vocare, nobis licebit? Ac nonne innumeris probatur exemplis, hanc esse epitomatorum rationem solere, ut alia abiiciant, alia de suis addant? Quodsi autem de suis nonnulla Diogenianus addidit, nonne nos quoque commoveri possumus, ut Pamphili obliviscamur aliquatenus? Qualis enim erat Pamphili liber? num ipse singula quaeque scripserat? suam ubique sententiam profitebatur? Minime! Liber Pamphili erat lexicorum ab aliis scriptorum collectio; ea igitur proprie, non Pamphili dicta, Diogenianus excerpebat: quin immo non raro Pamphili opiniones praeteriit, ut vidimus; aliorumque dicta fere nunquam neglexit. Ita facillime et Suidae et Photii et Hesychii sententiae coniunguntur, et sese invicem explanant.

At unde hanc meam opinionem probari et confirmari credam, dicendum est. Ubi Hesychius Diogeniani merita celebrat, et quae comprehenderit in lexico enumerat omnia: loco postremo ad proverbia transit, eorumque quot reperire potuerit, recepisse contendit. Nisi egregie fallor, horum ne minimum quidem vestigium in Pamphili libris deprehende-

batur. Nam neque in inscriptione operis „περὶ γλωσσῶν“ aliquid inest de proverbiis, neque apud Athenaeum, neque apud alium scriptorem inter paroemiographos Pamphili nomen apparet. Circumfertur Diogeniani liber „περὶ παροιμιῶν“; ac diu quaesitum est, utrum ex Hesychiano lexico excerptus, an proprius fuerit liber. Crediderim, proprium ab initio fuisse librum, dein ab ipso Diogeniano in lexicon receptum, duplici via ad nos pervenisse. Iam quod de proverbiis dixi, fortasse de verborum generibus non minus certe contendatur; equidem tamen, quo ulterius progrediar sine errandi periculo, non habeo. Quae via sit ad hanc rem accuratius indagandam, indicabo. Ait Hesychius, Diogenianum „οὐδεμίαν λέξιν οὔτε τῶν παλαιῶν, οὔτε τῶν ἐπ᾽ ἐκείνου γεγενημένων“ praetermisisse. Quare quum sciamus, quando Diogenianus et Pamphilus vixerint, dummodo eos scriptores, qui inter Diogenianum et Pamphilum floruerunt, eruimus: non difficile erit Diogeniani additamenta a Pamphili fontibus separare.

At etsi hac ratione Photii Hesychiique silentium defenditur, vel excusatur potius: tamen Hesychius certe ab errore non liberabitur. Is enim haud dubie et in reprehendendo et in laudando Diogeniano modum supergressus est. Quum enim ille collecta a Pamphilo lexica accepisset, non erat diligentia eius tanta, quantam Hesychius praedicat; reprehensio autem, propter res ab Diogeniano omissas, iniustissimam sese prodit; quippe ab eo profectam, qui scriptoris consilium animo non comprehendebat.

§. 8.

Quoniam semel errantem deprehendimus Hesychium ea, quae praeterea de eo dixit, omnia examinandi munus, humeris nostris impositum esse sentimus. Ruhnkenii autem studium, Valckenarium refutandi, effecit, ut in hoc argumento brevioribus esse nobis liceat. Neque ipsi iam antea de discrimine inter Photium et Hesychium obvio disputavi-

mus, quorum ille poëticas solum dictiones, hic omnes omnium scriptorum congestas a Diogeniano nominavit; concessimusque Ruhnkenio, etsi verissimum sit, quod Photius pronuntiavit, tamen Hesychium non reprehendendum esse, quum omnia scriptorum genera non intacta abiisse videamus.

Quodsi autem Hesychius affirmat, Apionis et Apollonii lexica Homerica, tragica et comica Theonis et Didymi, ab Diogeniano esse recepta: Ruhnkenius non satis habere debebat, quod demonstrare potuerat, scripta esse a viris nominatis talia lexica, sed quaerere praeterea, utrum illa lexica in Hesychiano reperirentur necne. Id igitur nobis indagandum reliquit. Sed quanquam de Apollodoro sine dubio Hesychius vera dixit, ita ut res ne oratione quidem egeat; — Apollodori enim interpretes in singulis quibusque paginis id demonstrarunt: — tamen de Apione res est maxime dubia. Nam quod ad nostram aetatem pervenit lexicon Apionis, et ab Ruhnkenio iure neglectum, ab Sturzio nuper editum est, neque grammatico illo dignum, neque in Hesychianum lexicon receptum est. Quare in his Hesychium errorem commisisse, mihi maxime probabile videtur. Nam, ut ipsius Ruhnkenii utar verbis, silent de hoc lexico veteres, quamvis centies Apionis in Homerum commentarios laudent. Credo igitur Hesychium, quum Apionem non raro inter Homericos apparere et *λέξεις* explicasse vidisset, inde in errorem ductum, de lexico *κατὰ στοιχεῖον* condito somniasse.

Aliter sentiendum est de Theonis et Didymi lexicis. Id elucebit, comparantibus inter se nobis, quae e Didymo et ab Hesychio proferuntur. Harpocr. „*Ξηραλοιφεῖν ἐλέγετο χωρὶς λουτρῶν ἀλείφεσθαι, ὡς Δίδυμος ἐν εἰκοστῇ ὀγδόῃ Τραγικῆς λέξεως*“ Hesych. „*ξηράλειψιν τὸ χωρὶς λούτρων ἀλείφεσθαι ἢ ξηροτριβεῖσθαι· ξηραλουτρεῖν τὸ αὐτὸ*, ubi Steph. et Heinsius recte *ξηραλοιφεῖν* coniecerunt. Bekk. Anecdd. p. 349, 6. „*Ἀηδόνα· ἔστι μὲν ἡ ὄρνις· ἐκ μεταφορᾶς δὲ οἱ Τραγικοὶ τὴν γλωττίδα τῶν βοῶν· ἔστι δ' ὅπου καὶ τὸν αὐλόν· ἡ λέξις Διδύμου*“ Hesych. „*Ἀηδόνα γλωσσίδα μεταφορικῶς· Εὐριπ. Οἰδί-*

ποδι, καὶ τοὺς αὐλοὺς δὲ λωτίνας ἀηδόνας που ἔφη" Etymol. Ms. Bibl. regiae, Ruhnk. p. IX, „Καρύκη· ἔψημά τι δι' αἵματος καὶ ἀρτυμάτων παντοίων. ὁ δὲ Δίδυμος Λύδιον βρῶμά φησιν ἐκ πολυτελοῦς σκευασίας συγκείμενον. ἐγὼ δὲ οἶμαι καρύκην αὐτὸ λέγεσθαι, ἐπειδὴ μέλαν ἐστί· φησὶ γὰρ ἐν τῇ Κωμικῇ λέξει, ὅτι ἐστὶ Καρύκιον καρυοβαφὲς καὶ Κάρυος ῥόος, οἷον μέλανος ῥόος. οὐκοῦν ἐκ τούτου οἶμαι λέγεται καρύκη· οὐκ οἶδα δὲ, εἰ καλῶς", quae sunt verba Ori., ut ostendit ex cod. Paris. Imm. Bekkerus Anecdd. p. 1386. Hesych. „Καρύκκη: περίεργος ζωμός. βρῶμα Λύδιον ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἡδυσμάτων συγκείμενον, ἀφ' οὗ τὸ συνταράττειν καὶ ἀναδεύειν καρυκκεύειν φασί." Ac reliqua quoque, quanquam corrupta, tamen apparent s. vv. Καρύκκινον, quod Albertus et Ruhnkenius pro κ' ἐρυμνὸν positum esse male autumarunt, et „Κάρυμνον· μέλαν et Καρυχροῦς, καρυοβαροῦς." Ea inter se comparata, facile, ut credo, a sagaci homine corrigentur. — Bekk. Anecdd. I, p. 471, 19. „Ἄφλαστα· τὰ ἀκροστόλια. Ἀπολλόδωρος. ὁ δὲ Δίδυμος τὸ ἐπὶ τῆς πρύμνης εἰς ὕψος ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκαμμένον" Hesych. „Ἄφλαστον· τὸ ἀκροστόλιον· τὸ ἄκρον τῆς πρύμνης ἀποτεταμένον εἰς ὕψος", quibus ἢ interserendum esse videtur. — Ib. p. 1432. „ψάλυξ, ψάλυγος, τινὲς μὲν τὰς τρίχας ἐδέξαντο σημαίνειν τὴν λέξιν. Δίδυμος δέ φησι τοὺς ἀσθενεῖς σπινθῆρας δηλοῦν τὴν λέξιν." Bekkerus quam infeliciter emendaverit φεψάλυξ, ostendit Hesychius „ψαλύγων· ἔνιοι ψάλυγας (cod. ψαγὰς) τὰς λεγομένας ψυχάς· ἄμεινον δὲ (cod. καὶ non male) τοὺς ἀσθενεῖς σπινθῆρας." Haec exempla sufficiant de Didymo. Ad Theonem transeundum est; de quo fere nihil certi affirmare nobis licet. Fere ubique enim eius nomen corruptelis obscuratum est. Quae Phrynichus in Epitom. p. 377. ed. Lobeck. de voce σαπρὰν ait, ex parte apud Hesychium inveniuntur, s. v. σαπρὸν, αἰσχρὸν, ἀκάθαρτον, sed ita, ut a Phrynichi reprehensione libera sint. Quae praeterea attulit, ex scholiis ad Theocritum scriptis deprom-

pta sunt, quibus nuper accessit Etym. M. p. 144, 48, ubi pro *οὕτω θέλει ὁ Ἀρτεμίδωρος* legendum esse *οὕτω Θέων ὁ Ἀρτεμιδώρου* vidit Bastius ad Gregor. Corinth. p. 367 seq. ed. Schaef. In Hesychio si non ipsa Theonis verba, similia tamen leguntur. Quantum igitur nunc scimus, de Theonis lexico non minus dubitare, quam de Apionis libro debemus; nisi uterque Theo et Apio pari fato propterea lexicorum suorum memoriam ad posteros ferre non potuerunt, quia qui excipiebat eos lexicographus, eorum famam gloriamque obscuravit.

Haec de Diogeniani fontibus, quos Hesychius commemoravit. Superest, ut ostendamus, utrum vere Hesychius Diogenianum dixerit *τὰ τῶν κεχρημένων ὀνόματα* praetermisisse. Ruhnkenius id obiter tetigit. Quum enim ex Harpocratione, quae s. v. *ἀκεστὰ* leguntur, attulisset, in quibus Antipho citatur, ita pergit „Ceterum hinc etiam apparet, scriptorum nomina non ubique a Diogeniano esse omissa; quanquam nec Hesychius omnes ab eo auctoritates neglectas dicit, requirens tantum eius in notandis auctorum nominibus librisque diligentiam in glossis iis, de quarum significatione ambigeretur.“ Quanquam ostendi supra, hoc exemplo uti recte neminem posse: tamen ego quoque Ruhnkenio assentior caussasque cur ita censeam, mox explanabo; sed Hesychium summa iniuria Diogenianum vituperasse puto.

CAPUT SEXTUM.

DE HESYCHIO LEXICOGRAPHO LEXICIQUE EIUS HODIERNA FORMA.

Quod ab initio omnium difficillimum negotium esse videbatur, certum de Hesychio eiusque conatibus iudicium ferre; id nunc, ubi summa quaestionis non e dubia coniectura, sed firmissimis argumentis absoluta et fundamentum, cui insistere liceat, positum est, sine magno erroris periculo finiri poterit. Iam igitur audeo ego Ruhnkenium accusare, quod non diligenter satis et circumspecte in hoc argumento versatus est. Quovis enim pignore contendere ausim, eum si modo viam, quam ipse inierat, persequi voluisset, iam tum omnes errores excutere potuisse. Error autem ut semper errorem parit, ita imprimis hoc in Ruhnkenium cadit, cuius errores, quia a viro profecti sunt, cuius laus tanta est, ut nemini fere maior contigerit, plerumque magnam errantium multitudinem pepererunt. Sed iam quod restat, addam necesse est. In quo negotio, si quando audacior, non dubius loquor, sed certus: velim ignoscant legentes, qui sciunt, in uno argumento enucleando qui felix fuit, eius et fiduciam augeri solere, ut cum Sallustio loquar, et promi linguam.

Diogeniani libros magna cum cura elaboratos sibi non satisfecisse, sed auctos et amplificatos ab se editos esse, scriptor epistolae professus est. Nominat autem libros, quibus ad augendum lexicon usus fuerit „Ἀριστάρχου, Ἀππίωνος et Ἡλιοδώρου λέξεις, i. e. glossas veterum scriptorum

ab Aristarcho, Apione et Heliodoro explicatas. Id ipsum in titulo libri nostri repetitum est. Pamphilus „περὶ γλωσσῶν“, Diogenianus „λέξεις παντοδαπάς“ ediderat. Hesychius denique hac usus est inscriptione „Λέξεων πασῶν συναγωγὴ κατὰ στοιχεῖον ἐκ τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου. Ἡσυχίου γραμματικοῦ Ἀλεξάνδρεως“ quae prioribus istis haud paullo insolentior est. Magna propterea in Hesychium crimina cumulavit Valckenarius; quae Ruhnkenius a lexicographo ita defendere studebat, ut ad corruptos aliorum librorum titulos provocaret iisque nostrum accenseret. Ac poterat id profecto. Ipse enim corrupit postea titulum, quem Timaeus lexico suo Platonico praemiserat, et quum in manuscripto suo invenisset „Τιμαίου σοφιστοῦ ἐκ τῶν τοῦ Πλάτωνος λέξεων“ quae verba nulla correctione egent, non ἐκλογὴ coniecit, sed quod minime exspectares „Λεξικὸν τῶν τοῦ Πλάτωνος λέξεων· idque posteriorum multis veram esse inscriptionem persuasit. Apud Hesychium autem in titulo mutando licenter grassatos esse librarios, Ruhnkenio crederem, nisi inscriptio cum epistola arctissime cohaereret et in singulis quibusque conveniret. Nihil equidem in titulo nisi Diogeniani mentionem desidero. Titulus hic esse debebat „Διογενιανοῦ ε. π. λ. ἐκ τῶν Ἀρ. — Ἡλιοδώρου πληρωθεῖσα ὑπὸ Ἡσυχίου.“ Potuit autem Hesychius brevitati studere, et quae omnibus primo adspectu perspiciebantur praetermittere. Praeterea Diogeniani liber in hominum manibus erat; antiquorum autem illorum celebratissimorum virorum commentaria rarissima; quare in epistola quoque voce εὐπορήσας utitur, se ea nactum esse vehementer gavisus; et in fronte operis eorum nomina repetiit, ut homines ad emendum legendumque librum incitaret. Non igitur est, quod ineptum librarium Hesychiano lexico ea praefecisse nomina censeamus, aut negemus, scriptorem epistolae id fecisse.

Iam vero quales sint illi libri ab Aristarcho, Apione et Heliodoro scripti, et ab Hesychio adhibiti, nobis quaerendum est. At auditis modo horum virorum nominibus, qui-

cunque quae hactenus explicavimus accurate pensitavit, de audacia hominis obstupescet, qui postquam questus est de testimoniis scriptorum ab Diogeniano omissis, ea addere sese paratum esse ait, et iam nihil profert, nisi Aristarchi, Apionis et Heliodori dictiones. Si, ut ostendimus, Pamphilus glossaria Aristophanis, Artemidori, Timachidae, Ameriae, Didymi aliorumque, quos recensere inutile est, collegerat: eaque omnia Diogenianus, omissis testimoniis, in librum suum transtulerat: quo modo tandem ea supplebat Hesychius ex Aristarcho, Apione et Heliodoro? Hic Hesychii sese prodit inscitia, qui si quid de Pamphilo audiisset, si quem thesaurum rerum utilissimarum Diogenianus collegisset, cognitum habuisset, haud dubie aliter iudicaturus fuisset. Verissime igitur Valckenarius „Noster vero noverat, credo, inter ceteras legi dictiones longe plurimas Laconum, Cretensium, Tarentinorum. Ubi tandem invenisset eorum scripta, e quibus a diversis fuerunt grammaticis enotatae? Iam olim perierant Alcmanis, Hybriae, Sileniae, Rhintonis similiumque carmina, e quorum dictionibus *Γλῶσσαι Λακωνικαὶ, Κρητικαὶ, Ἰταλικαὶ* coaluerant.“ Hic igitur Hesychii maximus est error, quod ex Aristarcho, Apione et Heliodoro Diogeniani librum pleniorem sese redditurum esse et meliorem speraverat. Sed ex parte id ipse videtur sensisse, quum Diogeniani lexicon sui libri *μέγιστον πλεονέκτημα* nominet. Eo magis eius loquendi ratio vituperanda est, qua sua merita nimis extollit.

Sed quid tandem est, quod ab Aristarcho et Apione et Heliodoro accepit? Dubitari non potest, quin additamenta eius ad Homerum potissimum spectaverint, quod trium illorum virorum coniunctio docet. Nunc vero audi, quid afferam. Enumeravi antea, quae e Pamphilo et Diogeniano apud veteres scriptores sparsim reperiuntur. Qui singula percurrere non dedignatur, universe si rem contemplamur, concedet, adesse quidem corruptelas, sed neque multas, et quas facile corrigere possis, si non, ut saepe, voces alibi inauditas profert. Uno ore autem quum confiteantur omnes

interpretes, versus ex Homero allatos omnium corruptissimos esse: eo trahitur animus, ut concedat, vera dixisse Hesychium et ex libris manuscriptis, in quibus commentaria Aristarchi, Apionis et Heliodori male scripta exstabant, multos Homeri versus addidisse singulis vocibus. Accipe, quae Schowius, diligentissimus lexici Hesychiani perscrutator, de ea re protulit, praef. ad Supplemm. p. X, „Restat adhuc in codice Marciano res admodum memorabilis, mira nempe locorum Homericorum depravatio, quam ab antiquissima codicis, quo Hesychius usus est, scriptura deduco, ipsaque iam in archetypo codicis Marciani corrupta fuisse arbitror; plurima vero horum locorum vitia, partim a continua veterum membranarum scriptura, partim a quadratarum forma repeti possunt.“ Accedit aliud argumentum. Saepe occurrit, ut eadem vox bis terve in Hesychio tractetur, interdum in iisdem, interdum in diversis casibus, saepe suo, saepius alieno loco posita inveniatur. Etsi non negem, interdum voces apud alios scriptores obvias ita duplicari: tamen id rarissime factum esse, ac saepissime fieri in Homericis vocibus contendo. Ea omnia facile additamenta Hesychii sese produnt. Si enim antea nonnulli ad rem explicandam ad librarios confugerunt, possum nunc in Hesychio acquiescere.

Ex his apertum est, quod antea indigitavimus, non omnia veterum scriptorum testimonia, ab Diogeniano omissa fuisse. Quum enim multa in lexico Hesychiano appareant, quod docet Index Auctorum, quem Albertus perfecit, neque ea sumere liceat ex Aristarcho, Apione et Heliodoro addita esse: nihil aliud nobis restat, quam credere, ea omnia Hesychium iam apud Diogenianum repperisse. Nihil Hesychio adscribere possumus, nisi versus Homericos additos et λέξεις inepte intrusas.

Sed ne quid iniuste contra Hesychium agamus, sese praeterea multas voces, in Diogeniani, Aristarchi, Apionis et Heliodori libris frustra quaesitas adiecisse profitetur. Neque id infitias ire aut volumus aut possumus. Adsunt enim nonnulla, a Pamphilo certe et Diogeniano sine dubio non

profecta. Ea igitur Hesychio relinquamus necesse est. Quum autem Hesychius glorietur, Diogenianum omnia collegisse lexica, quae usque ad illam aetatem scripta erant: alia eum post Diogenianum condita in rem suam vertisse, maxime probabile erit. Et quum Diogenianus ethnicorum, quos vocant, scriptorum, voces, ut idem pronuntiat, omnes explicaverit: quid restat aliud, quam lexica illa, quibus Vetus et Novum Testamentum explanatur? Hinc igitur totum fere Cyrilli lexicon Hesychio inest, hinc singula quaedam e christianis scriptoribus, ut ex Epiphanio, non raro petuntur.

His explicatis, nihil amplius dubitationis superest. Cognovimus enim, Hesychium grammaticum Alexandrinum, hominem christianum, qui fortasse non immerito ultimi aevi Graeculus Valckenario vocatus est, Opuscc. I, p. 151. Diogeniani nobis servasse lexicon; sed ita, ut ipse ne sciret quidem accurate, quam insigne id esset, neque nosset, ante Diogenianum Pamphilum magnam lexicorum collectionem instituisse. Ipse quoniam sese sua manu scripsisse omnia gloriatur; quid impedit, quo minus eum nil nisi librarium fuisse opinemur? Deinde cognovimus, excerptum esse ex alio librum, sed non post Hesychium a librario, sed ante eum a Diogeniano. Tenendum tamen est, de quo iam antea locuti sumus, nonnulla Hesychium omisisse, non voces solum, sed etiam vocum interpretamenta. Imprimis, ut suspicor contra singulorum grammaticorum nomina, quorum in epistola sua non meminit, licenter grassatus est. Denique perspexisse nos credimus, additamenta saepe perversa non a librariis intrusa, sed ab Hesychio profecta fuisse, et ea, quae post epistolam leguntur, ad Hesychium auctorem redire. Ita omnis opinionum diversitas, etsi nemo, quid verum sit, viderit, prorsus evanescit. Admiratus est Hesychium Casaubonus, et qui aliter potuisset vir, tam doctrina sua, quam animi probitate conspicuus, quum bene intelligeret, se in Athenaeo emendando immane quantum illo lexico adiutum esse. At non erat Hesychius, quem admirabatur, sed Pamphilus. Obstupuit propter temeritatem hominis et eius er-

rores Bentleius; neque is immerito. Insunt enim Pamphilo adsuti panni foedissimi ab Hesychio. Quanquam duae me caussae retinent, quo minus in Hesychium vehementius invehar, primum quod multa Pamphili ipsius esse perspexi, deinde quod magnam eorum partem non esse vitia credo. Saepe enim formarum ab Bentleio irrisarum defensorem proditurum esse video, qualis Buttmannus fuit in Lexilogo, II, p. 250.

Quomodocunque id est, Hesychii labore et studio librum praestantissimum, cuius utilitas nunquam satis celebrabitur, accepimus. Itaque si grato animo merita eius de antiquitatis studiis contracta contemplamur: veniam simul, quam omnes petimus vicissim, dabimus viro, quod non plura praestitit, quam potuit.

ADDENDA.

p. 22, not. 1, l. 3. post *eadem* add. *fere*, et post „et alibi" insere „ut ap. Suid. s. v. Ἡσύχιος" „ἐν οἷς ἐμφέρονται αἱ κατὰ καιροὺς πράξεις."

p. 23, not. 6, l. 13. ante συλλήβδην add. „cfr. Eustath. ad Hom. Od. XVII, 217, p. 1817, 9 seqq. „Τὸ δὲ μάλα πάγχυ Ἀττικόν ἐστιν, ὡς καὶ τὸ λίαν πάνυ καὶ τὸ τυχὸν ἴσως, καὶ παρ' Ἡσιόδῳ τὸ νόσφιν ἄτερ κακῶν" ἔργ. v. 91.

p. 23, not. 7. Ex quo tempore haec scripsi, F. Leopoldus Ranke, frater dilectissimus, Venetiis commoratus, ipsum inspexit codicem vereque Bastium de Schowio iudicasse docuit. Hoc enim ipso in loco Schowius neglexit, non Musuri manu, sed alius hominis antiquioris illud „ἡμᾶς εἰδέναι" in margine adscriptum esse. Qua re pensitata, opinionem meam, qua „ὡς εἰπεῖν" scribendum esse credideram, infirmiorem reddi intelligo.

p. 23. not. 9. Add. Hemsterhus. ad Lucian. in Reitzii praefat. primo volumini praemissa p. XXXII.

p. 24. l. 15. ad has voces explicandas „ἄνευ τῶν ὑποθέσεων" sunt inserenda nonnulla. Quid sit ὑπόθεσις, nemo interpretum accurate quaesivit; cfr. Alb. not. ad h. l. et

not. 35. Meliora docebit I. H. Fritschius, in libro: Geschichte von Quedlinburg, II, p. 18. In actis enim conventus Quedlinburgensis, a. 1582. leguntur haec verba, a me exscripta „Der dritte Punkt von der Hypothesi. Wir achten es für billich und nötig, dass man es nicht blos (?) lasse bei der thesi und antithesi, sondern dass man auch gehe ad hypothesin, das ist, dass der Name der Scribenten, so von den Artikeln des Glaubens Unrecht geleret, und die Gemeine Gottes betrübet haben, ausdrücklich gesetzet, und die Bücher, Capitel, Blätter und Oerter, da irrige und falsche Lere eingemenget ist in der gemeine Gottes und sonderlich der lieben Posterität angezeigt werde, damit sich männiglich dafür wisse zu hüten."

p. 26, l. 3. De voce προσθείς add. „Inspecto codice, non προσθεὶς, sed προθεὶς ibi repperit frater meus, quae saepe confunduntur, cfr. Eurip. Hecub. 362. ed. Pors. Schweighaeuser. in lex. Herodot. s. vv. προτιθέναι et προςτιθέναι. Haud dubitanter apud Hesychium προθεὶς praefero, quod multo magis rei convenit."

p. 41, l. 25. Similem corruptelam detexit Sylburgius in nott. ad Etym. M. p. 11. Nam in Etym. M. p. 212, 45. haec leguntur „βρενθία· διότι ῥιζία τινὰ, οἷς ἐρυθαίνονται τὰς γνάθους αἱ γυναῖκες· οἱ δὲ φῦκος ἄγχουσαν· οὐκ εὖ." Sylburg. „Pro διότι haud scio an verius aliquis Διογένης reposuerit; seq. v. disiunctive legendum videtur φῦκος ἢ ἄγχουσαν." Hesych. I, p. 763. „βρενθινά· ῥιζάριά τινα, οἷς ἐρυθραίνονται αἱ γυναῖκες τὰς παρειάς· οἱ δὲ ἄγχουσαν· οὐκ εὖ· οἱ δὲ φῦκος περιφερὲς κύδει Ἀφροδίτης." Etymologus neque omnia dedit, neque, quae dare voluit, accurate descripsit.

p. 48, l. 25. cfr. Praefat. ad Herodot. ap. Schweighaeuser. p. XXXII.

p. 66, 10. Luciani aetatem a Suida male esse usque ad Traianum tractam, nunc accuratiore investigatione rei instituta, persuasum habeo.

Ib. l. 33. In Phlegonte Tralliano de Mirabill. cap. 23. „*Μάρκου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ*“, ubi Xylander *Οὐηεστίνου*, Franz. *Οὐεστίνου*, ut *Οὐεσκελῖνος* ap. Dion. Halic. Ant. Rom. V. c. 49, p. 959. ed. Lips. — Haud dubie de Iustino pro Vestino male cogitarunt. Ceterum scio nunc, quae apud Montefalconium legantur, eadem esse cum iis, quae ex Schol. Veneto Bekkeri cognoveram; quare quae p. 128. et seqq. explicavi, nunc quoque, ut qui maxime, probo.

CORRIGENDA.

p. 2. l. 2. pro *Aug.* lege *Iul.* — p. 8. l. 24. pro *Alberti* leg. *Albertus*, ut p. 25. l. 45; 26. l. 20; 27. not. 21. l. 2. — p. 12. l. 4. pro *fuerit* leg. *fuisset* — p. 20. l. 22. pro *promitto* leg. *promisso* — p. 21. l. 1. post *proxime* excidit *ad;* pro *Ernesti* leg. *Ernestus* — p. 23. not. 8. pro *ambiguitur* leg. *ambigitur* et pro *iure suo*, *iniuria* — p. 24. l. 16. pro *ἔχουσαν* leg *ἐχούσας* — p. 25. l. 9. pro *σπανίων* leg. *σπανίως*. — Ib. l. 29. *duo* eiiciend est. — p. 27. not. 20, lin. ult. pro *attigit* leg. *nominavit* — p. 28. not. 25. lin. 4. signum importunum) delendum est post *fateor.* — ib. not. 27. l. 6. lege *κεῖται* pro *κείται* — p. 34. l. 7. *sua* eiiciendum est. — p. 36. l. 1. leg. *scholiastam* — p. 41. l. 1. *totum* del. — p. 42. l. 21. post *praeterea* excidit „*usus est*“ — p. 60. l. 5. lege *vocarat* — p. 66. l. 12. *persuasi* del. et l. 13. post *esse* adde *opinati* — p. 79. l. 15. *ex* ante *magno* add. p. 128. l. 11. *εὑρήσεις* pro *εὑρήσειν* et nonnulla alia.

In derselben Verlagshandlung erschien und ist in allen Buchhandlungen zu haben:

Demosthenes als Staatsbürger, Redner und Schriftsteller von Dr. A. G. Becker. Erste Abthlg. Literatur des Demosthenes. gr. 8. 1¼ Rthr. 1 Rthr. 7½ sgr.

Diese Schrift umfasst in folgenden VIII. Abschnitten eine sehr genaue und vollständige, mit eigenem Urtheil begleitete Nachweisung über alle bisherigen Leistungen über Demosthenes aus älterer und neuerer Zeit, bis gegen Schluss des Jahres 1830. I. Ueber Biographie des Demosth. II. Beurtheilung als Mensch und Staatsbürger. III. Würdigung als Redner und Schriftsteller. IV. Dessen Werke. Scholien. Inhaltsanzeigen. V. Handschriften. VI. Ausgaben. VII. Uebersetzungen. VIII. Erläuterungsschriften. Der Hr. Verf. betrachtet diese Schrift als Nachtrag zu seinem früheren Werke über Demosthenes (Halle 1815. u. 1816.), und bemerkt zugleich in der Vorrede S. IX., dass sie ebenso seine fortgesetzten Forschungen über diesen Schriftsteller mittheile. Die zweite Abtheilung, welche das Leben und die Schilderung des Demosthenes als Redner und Schriftsteller umfassen wird, soll zu seiner Zeit erfolgen.

Unter der Presse ist:

Andokides, übersetzt und erläutert von Dr. A. G. Becker. Nebst einigen Abhandlungen litterarisch-kritischen Inhalts.

